











(2)

D. AVSONII BVRDEGALENSIS, VIRI CONSVLARIS Eidyllia duo,

Vnum, Protrepticon ad nepotem Ausonium, De studio puerili: Alterum, De ambiguitate eligendæ vitæ:

Quibus adiecta est facilis & aperta explicatio, ex prælectionibus quotidianis CLAVDII MINOIS.

Excepta omnia ex ore docentis, à studiosis aliquot adolescentibus in Academia Parisiensi, anno M.D.LXXV.



PARISIIS,
Apud IOANNEM RICHERIVM, via D. Ioannis Lateranensis, sub signo arboris virescentis.
M. D. LXXXIII.
Cum priuilegio Christianissimi Regis.



IOANNES RICHERIVS Lectori. S.

ANte annos fermè sex venerat in manus meas Ausonij griphus cum explicatione CLAVDII MINOIS: quam cùm typis mandare statueram, déque ea re conferrem cum aliquot studiosis adolescentibus, qui tum in Academia versabantur, vnus & alter ex ijs me monuerunt habere se ad eiusdem Ausonij opuscula duo alia, MINOIS nostri explicationem quam ex docentis ore fideliter excepissent, parique studio ac diligentia vnà contulissent: quámque mihi lubenti animo in manus traderent, si eam gripho vellem adiungere. Hanc ergo ab iis acceptam commentationem duxi publicandam (sed primùm quidem aduocatis in consilium viris eruditis, qui mihi auctores fuerunt ne eam commoditatem inuiderem studiosis litterarum) quanquam non dubitem quin prima fronte improbet cuius maximè interest, nempe interpres ipse: quem tamen spero mihi non fore molestum, vbi suorũ nuper auditorum beneuolentiam planè singularem, ac studium æstimarit. ij enim doctorem absentem amant, requirunt, desiderant; & cuius vocem haurire non possunt, prælectiones auidißimè memorãt. Vellem pari liberalitate mihi adolescentes, de quibus modò dixi, exscriptas tradidissent eiusdem MINOIS maiorum vigiliarum notas in Ausonii ludum septem sapientum: in duodecim Cæsares: in Panegyricum: in Parentalia: quæ tamen omnia, si quid impetrare poßim ab ipsomet interprete, edenda curabo propediem. Tu intereà lector studiose, nostros conatus boni consule; neque me audacem nimiùm, sed impensè studiosum putes, qui tui causa sim ausus aliquid, nedum molitus ad publicam omnium vtilitatem. Vale.



AVSONIVS HESPERIO FILIO SVO.



IBELLVM, quem ad nepotulum meum, ſororis tuæ filium, inſtar protreptici luſeram, venturus tibi præmiſi legendum. Hoc enim malui, quàm ipſe recitare, eſſet vt tibi cenſura liberior: quæ duabus cauſis impediri ſolet, quòd aures noſtras audita velociùs quàm lecta prætereunt, & quòd ſinceritas iudicandi præſentia recitantis oneratur. Nunc tibi vtrumque integrum eſt. quia & legenti tibi libera mora eſt, & iudicaturo non obſtat noſtri verecũdia. Sed heus tu fili chariſſime, habeo quod admoneam: ſiqua tibi multò ſint fucatiùs concinnata, quàm veriùs, & plus coloris, quàm ſucci habere videantur, ipſe ſciens fluere permiſi, venuſtula vt eſſent magis, quam forticula, inſtar virginum, quas matres ſtudent demiſſis humeris iunceo pectore eſſe, vt graciles ſient, noſti cætera. Supereſt vt dicas. Quid moraris iudicationẽ meam de eo, quod ipſe pronuntias eſſe mendoſum? dicam, ſcili-

cet me huiusmodi versibus foris êrubescere : sed intra nos minus verecundari. Namque hæc annis illius magis, quàm meis scripsi: aut fortasse & meis dicas, δὶς παῖδες οἱ γέροντες. Ad summam valeat austeritas tua: mihi cum infante ratio est. Vale, Fili dulcissime.





JN EPJSTOLAM AVSONII.

PRotrepticum suum carmen mandat Hesperio legendum, vtque liberiùs iudicet, rogat id seorsim examinet. Quod enim coram non recitarit, duabus maximè caussis reuocatum se fuisse dicit, nempe quòd ex auditione tam certum verúmque iudicium ferri nō possit quàm lectione: & quòd sæpe auditores non sint in iudicando liberi, quia moueantur præsentia recitātis, ex quo iudicium non est ita sincerum. Dein excusat fucatum scribendi genus per comparationem ex finali causa.

Ad nepotulum) Huius est apud Ausonium mentio in Genethliaco: in quo etiam meminit huius ad eundem carminis protreptici:

Carmina prima tibi, cùm iam puerilibus annis
Traderet aßidui permulcens cura magistri
Jmbueréti que nouas artes, &c.

In eundum filiolum est 10. parentalium.

Protrepticon) προτρεπτικὸν seu προτρεπτικὸς λόγος, ἀ προτρέπομαι, adhortari, vt ἐπ' ἀρετὴν καὶ τὸ κλέος προτρέψαντες, ad virtutem & gloriam adhortantes. Non arbitror esse ignota quæ dixit M. Tullius in Hortensio, quem ad exemplum protreptici scripsit. vt in Gallieno Trebell. Pollio. Ausonius noster epistola quadam ad Symmachum: Illud quoque, quod penè præterij, quanta affectione addidisti, vt ad te didascalicum aliquod opusculum, aut sermonem protrepticum mitterem? Et Symmachus ad Ausonium eodem vsus verbo erat: Certè, inquit, aliquod didascalicum, seu protrepticum nostro quoque nomini carmen adiudica.

Venturus ipse) Hoc monuit Horatius, de arte poëtica, & Plinius Iunior in suis scriptis faciendum curauit, Lege eundem lib.2.Epist.19.lib.5.epistola 3.13.17.

Censura liberior) Iudicium, quo nihil esse liberius debet in faciendo examine. Mihi modestior constantia est, inquit Plin.5.epist.3. quàm vt satis absolutũ putẽ quod à me probetur. Itaque has recitandi causas sequor. primùm, quòd ipse qui recitat, aliquantò acriùs scriptis suis auditorum reuerentia intendit: deinde quòd de quibus dubitat, quasi ex consilij sententia statuit, &c. Vide pulcerrimam epistolam eiusdem ad Celerem, 17.lib.7. Multa etiam de emendatione Fabius Quinctilianus. At verò non dubium est quin ipsa recitatio suauis & delinifica (vtar verbo vetere, à quo & Ausonius, & docti homines non abhorruerunt) non raró imponat audientibus. Ita Plinius ad Proculum 3.epist.15. Opus est hoc tuum pulcrum, nec supprimendum, quantùm æstimare licuit ex ijs quæ me præsente recitasti: si modò mihi non imposuit recitatio tua. Legis enim suauissimè & peritissimè. Confido tamen me non sic auribus duci, vt omnes aculei iudicij mei illarum delinimentis refringantur. Hebetantur fortassè & paululùm retunduntur: reuelli quidem, extorquerique non possunt, Hæc ille. Idem de recitationum impedimentis argutè 2.epist.3.

Quod audita velocius) Vox emissa perit, vt etiam vulgo non ignotum. Cicero 3. de Orat. facilius ad ea quæ visa, quàm ad illa quæ audita sunt, mentis oculi feruntur.

Nostri verecundia) Vt patriæ potestatis magnæ sunt vires, sic nullum nobis numen verecundia præsentius præsente patre: adeò etiam vt qui sunt profligatis & perditis moribus adolescentes, retineantur in officio, suósque impetus retardari sustineant ipsa patris præsentia.

Si qua tibi multò fucatiùs) Vel agnosci vult vitia sua, vel duriùs reprehendi ea non permittit, communi Poëtarum φιλαυτίᾳ imbutus. Hoc scripti genus est tenue quidem, sed me puerulo accommodari volui. Habet id coloris aliquid, sed succi parum: aptũ tamen est ætati huic quæ non potest esse capax argumenti grauioris aut subtilioris.

Forticula) Fortia, vel robusta. Hoc verbo vsum Ciceronem memini Tuscu.2. vbi de Epicuro.


Quas matres studènt) Sic Parmeno loquitur, eum Cherea in Eunuchi Terentianæ act.2. scena 3.

Haud similis virgo est virginum nostrarum, quas matres studēt
Demissis humeris esse, vincto pectore, vt graciles sient.
Si qua est habitior paulò, pugillem esse aiunt: deducunt cibum:
Tametsi bona est naturâ, reddunt curatura iunceas.

Superest igitur vt dicas) præoccupatio. cũ tenuia scias eiusmodi carmina, quid ea vis à me legi? soluit ita: ego intus delector ijs, foris erubesco, scripsi enim non mei causa, sed pueruli.

δὶς παῖδες οἱ γέροντες) pòst dicet, in carmine:

--- seni facies puerascere sensus.





ARGVMENTVM PROTREPTICI AVSONIANI.

AVSONIVS itaque vir consularis, & poëta doctissimus scripsit hoc carmen ad nepotem Ausonium, vt eum ad litterarũ studia excitaret, quibus sibi suo tempore laudis & gloriæ præmia compararet. Huius Eidyllij hæc est series: Primò quidem significat Musas, quanquam seueras, id est litteracum exercitationem aliquantò difficilem, penéque ob assiduos labores permolestam, habere liberales quasdã animi remissiones. Quo quasi illicio (ad capiendum faciliùs adolescentuli animum) initiò admoto, adimere, aut certè amollire metum eum nititur, quo ferè solent occupari tenelli puerorum animi priora Grammaticæ rudimenta capessentium. Quod vbi se putat exsoluisse aliquot rationibus & sententijs, eum vt adhortetur ad honores, suo & patris exemplo, docet qua sit via insistẽdum: qui libri ad informandum studium, sed in primis qui poëtæ & historici euoluendi. Mox quædam interserit de suis studijs: vt doctoris munus obierit, tandem accitus ad aulam Imperatoriam vt præficeretur studijs Gratiani Cæsaris: postmodùm multis honoribus cumulatus peruenerit ad summum fastigium dignitatis. Postremò claudit adhortationem ad nepotem, vt patris & aui exemplo sese ad summos honores obtinendos eadem, qua illi, via præparet.



AVSONII
AD NEPOTEM
AVSONIVM

Protrepticon, De ſtudio puerili. edyll. 4.



SVnt etiam muſis ſua ludicra, miſta Camenis
Otia ſunt, mellite nepos, nec ſemper acerbi
Exercet pueros vox imperioſa magiſtri,
Sed requies, ſtudijque vices rata tempora ſeruãt.

COMMENTARIA.

Sunt etiam muſis ſua ludicra) Muſæ, quanquam σεμναὶ θεαὶ, & circa res graues imprimis occupatæ, habent tamen ſuas intermiſſiones & ludicra quædam. Sic loquitur apud Lucianum Cupido, quo loco mater Venus ex eo quærit cur ſuum in muſas arcum non intendat: αἰδοῦμαι αὐτὰς ὦ μῆτερ, inquit, σεμναὶ γάρ εἰσι, καὶ ἀεί τι φροντίζουσι, καὶ περὶ ᾠδὴν ἔχουσι, καὶ ἐγὼ παρίσαμαι πολλάκις αὐταῖς, κηλούμενος ὑπὸ τοῦ μέλους. i. Ego eas veneror, mater, ſunt enim graues & verecundæ, ſempérq; circa ſtudium aliquod verſantur, & cantione oblectãnt ſeſe: qua cauſa ſępe ijs adſiſto, eiuſmodi carminis ſuaui-

tate captus. Si quis tamen id malit de honesta studiorũ intermissione intelligi, non vehementer pugnabo. De hac Cicero 1. de offic. Sic vero Seneca 1. de vitæ tranquillitate: Danda est animis remissio: meliores enim acrioresque, vbi quieuerunt, resurgunt. Vt fertilibus agris non est imperandum, quia citò exhauriat illos nunquã intermissa fœcunditas: ita impetus animorum labore assiduo frangitur: vires recipiunt paulùm resoluti ac remissi. Nascitur ex assiduitate laborum animorum hebetatio quędam & languor, &c. Fabius Quinctilian. 1. cap. 3. Danda est omnibus aliqua remissio, non solum quia nulla res est quæ perferre continuum laborem possit, atque ea quæ sensu & anima carent, vt seruare vim suã possint, velut alterna quiete reuocantur. Et paulò pòst: Nec me offenderit lusus in pueris: est & hoc signum alacritatis: neque adolescentem tristem, semperque remissum sperare possim erectæ circa studia mentis fore, cùm in hoc quoque maximè naturali ætatibus illis impetu iaceat. Modus tamen sit remissionibus, ne aut odium studiorum faciant negatæ, aut ocij consuetudinem nimiæ. Transilio pulcerrimam Plinij adhortationem ad amicũ Præsentem 7. epist. 3. & ad Arrianum 8. eiusdem operis, epist. 21.

Sed requies studijque vices) Seneca ad Lucillium, epist. 15. non vult studiosum semper intentum esse operi, sed respirare aliquando, vt vegetior ad studia redeat.

Et satis est puero memori legisse libenter,
Et cessare licet. Graio schola nomine dicta est,
Iusta laboriferis tribuantur vt otia musis.

Et satis est puero memori) Satis est puero studium sponte capessere. in hoc enim nihil inuita Minerua tentandum. & quidem studio litterarum nihil liberius, quarũ fructum nullus nisi volens, quique sit animo libero carpserit. Itaque quod Fabius asseuerat de studio dicendi, non temerè possim ad omne liberale studium conuertere. Sic ille lib. 1. Studium dicendi voluntate, quæ cogi

non poteſt, conſtat.

Graio ſchola nomine) Vt Greci σχολὴν, ſcholam, ab ocio, quòd curis alijs animus ſtudijs intentus debeat eſſe ſolutus ac liber: ita non minus lepidè Latini ludũ, ſcholam appellarunt, & ludimagiſtros, ſcholis præfectos; rē grauem, primóque difficilem blando nomine amolliētes. Relinque ludum litterarium Philoſophorum, ait Seneca epiſt. 72. Idem, Hoc ita ſemper arbitratum eſt, ſcholam quaſi ludum eſſe: forum, arenam.

Quò magis alternum certus ſuccedere ludum
Diſce libens, longum delinitura laborem
Interualla damus: ſtudium puerile fatiſcit,
Læta niſi auſteris varientur feſta profeſtis.
Diſce libens, tetrici nec præceptoris habenas
Deteſtere nepos: nunquã horrida forma magiſtri.

Diſce libens) Intelligere mihi videtur φιλομαθίαν, de qua Iſocrates, ἐὰν φιλομαθὴς, ἔσῃ πολυμαθής.

Studium puerile fatiſcit) Ouidius:

Arcus & arma tuæ tibi ſunt imitanda Dianæ,
Si nunquam ceſſes tendere, mollis erit.

Fatiſcit ſtudium, ideſt languidius fit, & nunquam intermiſſum deficit. Rimis fatiſcunt, inquit Poëta de tabulamentis nauium hiſcentibus. Vtitur noſter hic eodem verbo aliquantò pòſt: --- *nec vota fatiſcent.*
Cornel. Gallus, de ſenectute,

In te corruimus: tua ſunt quæcunque fatiſcunt.

Auſteris) Auſtera hîc pro triſtibus, moleſtis, grauibus, ſerijs, ſed primùm ducta à ſaporibus metaphora, qua & vſus eſt alijs in locis Auſonius. ſic Parentalib. 22.

Tu grauis & comis, cum iuſtitiáque remiſſus,
Auſteris doctus iungere temperiem.

Eodem opuſculo, in Iulia ſorore,

Coniuge adhuc iuuenis caruit: viduata marito
Moribus auſteris æquiparauit anus.

Ad finem epiſtolæ huic præfixę protreptico: Ad ſummã

valeat auſteritas tua.

Tetrici nec præceptoris habenas) Alterum caput eſt quo metum puerilem mitigare nititur. Non eſt auerſandum aut deteſtandum durius imperium præceptoris. Fabius lib. 2. cap. 2. Viua vox alit plenius, ſed maximè præceptoris, quem diſcipuli, ſi modò rectè ſint inſtituti, & amãt, & verentur. Hunc certè præclarum de metu puerili locum illuſtrat Aphtonius, quò loci amplificat ſentẽtiam Iſocratæam, qua dicitur radices doctrinæ amaras, fructus verò dulces: οἱ παιδείας ἐρῶντες τοῖς τῆς παιδείας ἡγεμόσι συνεξετάζονται, παρ' οἷς καὶ τὸ προσελθεῖν φοβερὸν, καὶ τὸ διαλιπεῖν ἀμαθέστατον, φόβος ἀεὶ τοῖς παισὶ περιγίνεται, καὶ παροῦσι καὶ μέλλουσι. διδασκάλους παιδαγωγοὶ διαδέχονται, φοβεροὶ μὲν ἰδεῖν, αἰκιζόμενοι δὲ φοβερώτεροι. φθάνει τὴν πεῖραν ὁ δέος, καὶ διαδέχεται τὸ δέος ἡ κόλασις. καὶ τὰ μὲν ἁμαρτήματα τῶν παίδων μετέρχονται, οἰκεῖα δὲ κατορθώματα κρίνουσιν.ι. Qui diſciplinas amant ita iudicantur, vt qui ſint eorum ductores ſpectentur. ad eos acceſſus formidatur, eos verò deſerere, ſtultiſſimum habetur atque imperitiſſimum. Pueri perpetuo metu afficiuntur & præſentes, & ad eos acceſſuri. magiſtros ſequuntur pædagogi: ij terrifico aſpectu, ſed cùm verberant magis terrifici: Præcedit experientiam metus, metumque caſtigatio excipit. Pœnam illi exigunt à pueris vbi peccarint: rectè verò facta ſibi tribuunt. Quę vt vera ſint, tamen audiendi non minus cari monitores, qui diſciplinam alioqui duram & ſeueram approbent. Sic Horatius,

——*teneræ nimis mentes aſperioribus formandæ ſtudijs.*

Vide ſatyram 14. Iuuenalis.

Ille licet triſtis ſenio, nec voce ſerenus
Aſpera contractæ minitetur iurgia frontis:
Nunquam immanis erit, placita aſſuetudine vultus,
Qui ſemel imbuerit, rugas nutricis amabit,
Qui refugit matrem. pappos, auiaſque tre-

mentes
Anteferunt patribus seri noua cura nepotes.
Sic neque Peleiden terrebat Achillea Cheiron
Theßalico permistus equo, nec pinifer Atlas
Amphitryoniaden puerum, sed blandus vterque
Mitibus alloquijs teneros mulcebat alumnos,
Tu quoque ne metuas, quamuis schola verbere multo
Increpet, & truculenta senex gerat ora magister.

Placita assuetudine vultus) Consuetudine, dura etiam & acerba omnia mitescunt & amolliuntur. Ouid. 2. de arte,

Quod male fers, assuesce: feres bene. multa vetustas *Lenit.*

Propertius 2. Elegiar.

Ac veluti primo taurus detrectat aratra,
Post venit assueto mollis ad arua iugo.

Si neque Peleiden) Achillem, à Peleo patre nominatũ. Eum narrant institutum à Chirone centauro, rei medicę, musicę, militaris peritissimo. Nescio an pertineat huc Ouidianum illud 1. artis,

Phyllerides puerum citharæ præfecit Achillem,
Atque animos molli contudit arte feros.
Qui toties socios, toties perterruit hostes,
Creditur annosum pertimuisse senem
Quas Hector sensurus erat, poscente magistro,
Verberibus iussas præbuit ille manus.

Claudianus de tertio Honorij consulatu:

——— *non ocius hausit Achilles*
Semiferi præcepta senis, seu cuspidis artes
Siue lyræ cantus, medicas seu disceret herbas,

Multa de eo Chirone conquiri possunt apud alios veteres, sed Homerum maximè Iliad. μ. Pindarũ 4. Pythiorum, Xenophontem Hipparchico, Apollonium Rho-

dium 1.& 4.lib.

Nec pinifer Atlas) Non terrebat Atlas præclarus Astronomus, Herculem discipulum, qui ex eo didicit Astrologiam. Intereà obiter aduerto hoc exemplo duplici vsum etiam aliàs Ausonium de sese verba facientem, déque discipulo Gratiano, in epistolis,

Augustam sobolem Grammaticus docui,
Mox etiam Rhetor. nec enim fiducia nobis
Vana, aut non solidi gloria iudicij.
Cedo tamen fuerint fama potiore magistri,
Dum nulli fuerit discipulus melior,
Alcides Atlantis, & Aeacides Chironis,
Penè Ioue iste satus, filius ille Iouis,
Thessaliam Thebásque suos habuere penates,
At meus hic toto regnat in orbe suo.

Mitibus alloquiis) Improbat Plutarchus, disputatione περὶ παίδων ἀγωγῆς nimiam illam magistrorum seueritatem. Sic Fabius 1.lib.cap.2. imprimis habendam curã esse dicit, vt præceptor omnino fiat puero familiariter amicus: nec officium in docendo spectet, sed affectum. Idem lib.2.cap.4. imprimis ait vitandum esse, in pueris præcipuè, magistrum aridum, &c. deinde: Ingenia puerorum nimia seueritate deficere. Desperare enim eos & dolere, & denique odisse: &, quod maximè nocet, dum omnia timeant nihil conari. Quod & rusticis notum, qui frondibus teneris non putant adhibendam esse falcem, quia reformidare ferrum videntur, & cicatricem nondum pati posse. Iucundum ergo tum maximè esse pręceptorem debere, vt quæ alioqui natura sunt aspera, molli manu leniantur, laudare aliqua, ferre quædam. Multò idem apertiùs 3.cap. Discentes cædi, quanquam & receptum sit, & Chrysippus non improbet, minimè velim. Primùm quia deforme atque seruile est: & certè quod conuenit, si ætatem mutes, iniuria. Deinde quòd si cui mens est adeò illiberalis, vt obiurgatione nõ corrigatur, id etiam ad plagas durabitur. nec quidem erit opus hac castigatione, si assiduus studiorum exactor adstiterit. Nunc ferè negligentia pędagogorum sic emẽdari videtur, vt pueri non facerę quæ recta sunt cogan-

tur,ſed cur non fecerint puniantur. Denique cũ paruulum verberibus coegeris,quid iuueni facias,cui nec adhiberi poteſt hic metus,& maiora diſcenda ſunt? Adde quòd multa vapulantibus dictu deformia,& mox verecundię futura, ſæpe dolore vel metu accidunt: qui pudor refringit animum,& abijcit, atque ipſius lucis fugã & tædium dictat. Iam ſi minor in deligendis custodum & præceptorum moribus cura fuit, pudet dicere in quæ probra nefandi homines iſto cædendi iure abutantur, quam det alijs quoque nonnunquam occaſionem hic miſerorum metus.

Tu quoque ne metuas) Protaſeos comparationis redditio eſt, vt exemplo clarorum principum ſe componat, qui ſi ſuos magiſtros auerſati fuiſſent, nunquam fortaſſè ad id laudis & gloriæ perueniſſent. Sic Apthonius: ὁ παιδείας ἐρῶν, πονῶν μὲν ἄρχεται, πόνων δὲ ὅμως τελευτώντων εἰς ὄνησιν. Qui ſtudiũ amat, à laboribus incipit ille quidem, ſed ij tamen in vtilitatem deſinunt.

Degeneres animos timor arguit: at tibi conſta
Intrepidus, nec te clamor, plagæque ſonantes,
Nec matutinis agitet formido ſub horis,
Quòd ſceptrum vibrat ferulæ, quòd multa ſupellex
Virgea, quòd mollis ſcuticam prætexit aluta,
Quòd feruent trepido ſubſellia veſtra tumultu:
Pompa loci, & vani fugiatur ſcena timoris.

Degeneres animos) Hoc Virgilianum eſt hemiſtichium ex 4. Æneid. quo Æneam Dido laudat vt virum fortem & interritum, ab effectis ad cauſam. Nam timor nota eſt animi degeneris, & abiecti, & ignobilis. In bene natis adoleſcentibus eſt ſemper neſcio quid præclarę indolis, vt nõ ita ſunt animo demiſſo, ſed etiã in rebus ijs q̃ alijs

terrorem

terrorem afferunt, facilè ostendant qualiter instituti sint.

At tibi consta) Aduerte hîc, & passim, eandem sententiam variari nouorum verborum mutatione, adeoque inculcari, vt sese pueri imbecillitati accommodet, quod ipse liberè fassus est in epistola huic præfixa eidyllio. Consta tibi, 1. ne trepides, at sis erecto animo quoties occurret scholæ trepidatio vel metus.

Nec matutinis) Pueri vbi primùm sunt excitati in scholis summo mane, anxij ferè sunt & perturbati ob verberum minas, & dura illa sceptra Grammaticorum. Plato in Axiocho inter cæteras humanæ vitæ ęrumnas, hanc vnam non prætermisit, his omnino verbis: ὁπόταν εἰς τὴν ἑπταετίαν ἀφίκηται, πολλοὺς πόνους διαντλήσαν, καὶ παιδαγωγοὶ καὶ γραμματικοὶ, καὶ παιδοτρίβαι τυραννοῦντες. αὐξομένου δὲ, κριτικοὶ, γεωμέτραι, τακτικοὶ, πολὺ πλῆθος δεσποτῶν: ἐπειδὰν δὲ εἰς τοὺς ἐφήβους ἐγγραφῇ, καὶ φόβος εἴη χείρων, τὸ λύκειον, καὶ Ἀκαδημία, καὶ γυμνασιαρχία, καὶ ῥαβδοὶ, καὶ κακῶν ἀμετρίαι. Cuius loci hæc est sententia: Cùm ad septennium peruenit adolescens, multos labores perfert, pædagogos, Grammaticos, & ludi magistros tanquam tyrannidem exercentes ille patitur. factus verò grãdior, succedunt Critici poëtæ, geometrę, rei militaris præceptores, ingens dominorũ multitudo. At postquàm inter ephebos ascriptus est, deterior accedit metus, Lycæum, Academia, & Gymnasiarchia, vt etiam verbera, adeoque malorum infinitas. Hactenus ille. Quæ omnia petita ex sermone Prodici sophistæ, vt fatetur ipsemet. Has malorum myriadas, quales describuntur à veteribus, pro fabulis & nugis fortasse duceremus, nisi exemplis hoc nostro seculo verius id esse quàm vellemus, edocti, nimiam magistrorum sæuitiam in pueros, aut eorum petulantiam, immodestiámque meritò auersaremur. Quæ nuper nostrisque annis vidimus, doctè & ingeniosè descripsit Buccananus, poëtarum coryphæus. Sic enim adolescentulorum qui versantur in scholarum claustris, sed Lutetiæ potissimum, miserias exaggerat:

Ecce, vigil subitò quartam denunciat horam,
Et tonitru horrifico lumina clausa quatit.
Excutit attonito somnos sonus æris acuti,
Admonet & molli membra leuare toro.
Vix siluit: iam quinta sonat, iam ianitor vrget
Cymbala tyrones ad sua signa vocans.
Mox sequitur longa metuendus veste magister,
Ex humero læuo mantica terga premit.
Dextera crudeli in pueros armata flagello est,
Læua tenet magni fortè Maronis opus.

Et deinceps, vbi varia puerorum errata & iuueniles versutias vno quasi fasce complexus est:

Hinc virgæ strepitúsque sonant, fletúque rigantur
Ora, inter lacrymas transigiturque dies.
Dein nos sacra vocant: dein rursus lectio, rursus
Verbera: sumendo vix datur hora cibo.
Protinus amota sequitur noua lectio mensa:
Excipit hanc rursus altera cœna breuis:
Surgitur, in seram noctem labor improbus exit,
Ceu breuis ærumnis hora diurna foret.
Quid memorem interea fastidia mille laborum,
Quæ non ingenua mente ferenda putes?

Quod sceptrum vibret) Ferulis olim vsos veteres Grammaticos facilè est obseruare: vnde interdum ferulam pro disciplina vsurpari memini: vt cùm dico sub huius vel illius edoctum ferula. Martialis 10. epigramm. ferulas tristes, sceptra pędagogorum vocat. Noster Ausonius epistola ad Theonem:

Ausonius, cuius ferulam, nunc sceptra verentur,
Paganum è Medulis iubeo saluere Theonem.

Quibus ex verbis significat se præceptorem Gratiani & Valentiniani, accitum nempe ab eorum patre Valentiniano. Memini me olim, quorundam flagrionum occasione, qui mihi bilem mouerant, lusisse quod huc refero ænigma: quo scoparum fasciculum, si non eleganti, certe facili circuitu describebam. Verriculum loquitur:

Sum genita in syluis, nexu constricta tenaci,
Non eadem maneo quæ tamen antè fui.

Functa ministerijs (quis nesciat ista?) duobus:
Concutioque solum, monticulosque duos,
Dum moueo viles atomos, siliquiasque voluto,
Vilis ego, ac sceptri sum vice παιδονόμοις.

Quod mollis scuticam prætexit aluta) Alij legunt, quod fallax scúticam. vtriusque lectionis ratio probabilis reddi potest. Non est quòd reformides, aut ita trepido animo sis, si magister flagellum, id est, sceptrum suum tegat molli sua aluta, nempe veste interula è molli pelle contexta, quantùm quidem ego suspicor. Immò si locus meę coniecturæ dandus, ad quam non confugerem, si quid mihi verius occurreret, hic puto describi flagrum pædagogorum, non è virgis aut virgulis arbustorum, sed loris & pelliculis mollibus confectum: quam dicit scuticam molli, vel fallaci aluta prætextam. At scutica, vt vi verbi intelligitur, coriaceus est verber. σκῦτος enim corium sonat: & σκυτάλις, baculus. Videtur Horat. 1. Satyr. scuticæ nomen vsurpasse pro verbere non adeò duro:

Ne scutica dignum, horribili sectere flagello.

Sed quid illud sit pauci admodum sciunt, & ij etiã qui se nihil nescire putãt. Ego quidem habeo penes me cõmentarium anonymi cuiusdam in Persium membrana descriptum litteris certè fugientibus, ex quo didici ad Satyram 5. scuticam fuisse olim corrigiam, quæ habebat in summitate nodos quosdam in modum fabæ. de hac Terentium intellexisse, Hęc faba cudetur in me: fuisseq; pœnam seruilem.

Quod multa supellex virgea) Mutuatus id ex Marone 1. Georg. vbi de instrumentis rusticorum agit,

Virgea præterea Celei, vilisque supellex,
Arbuteæ crates, & mystica vannus Iacchi.

Quòd feruent trepido) Quòd scholastica sedilia perpetuo quasi tumultu trepident: quòd terrificus ille apparatus prælectionum, repetitionum, recitationum, quæstionum, glossematum, thematium, quæ sæpenumero sunt pompæ magis, vanæque ostentationis, quàm frugis.

Vani scena timoris) Quam pompam dixit, verbo magnifico, nunc scenam nominat vani timoris per μείωσιν.

Nam vtplurimùm adoleſcentuli metu inani correpti hærent. Cum enim vnus aut alter ob noxam leuiculam terretur, alij omnes qui ſuam cauſam agi putant, videntur in eadem verſari naui: diffidũt, magiſtri verba ſecus interpretantur: immò omnia tuta timent.

Hæc olim genitórque tuus, genitríxque ſecuti
Securam placido mihi permulſere ſenectam.
Tu ſenium, quodcunque ſuper labentibus annis
Fata dabunt, qui nomen aui geris indole prima,
Prime nepos, vel re, vel ſpe mihi porge fruendum.
Nunc ego te puerum, mox in iuuenilibus annis
Iamque virum cernam, ſi fors ita iuſſerit; aut ſi
Inuidia eſt, ſperabo tamen, nec vota fatiſcent.
Vt patris, vtque mei non immemor, ardua ſemper
Præmia muſarum cupias: facundus & olim
Hac gradiare via, qua nos præceſſimus & cui
Proconſul genitor, præfectus auunculus inſtant.

Hæc olim genitorque tuus) Quod ego moneo, id obiui antè, cum tyro eſſem in ſcholis. me enim placidum prębui, minimèque refractarium meis doctoribus, & ijs ſub quibus primum ingenij cultum cepi: ex quo parentes mei ſuam ſenectam feliciorem eſſe putarunt. Itidẽ ergo mei cauſa, præſtare debes.

Tu ſenium) Sic agendo permulceas meam ſenectutẽ, & quod mihi reliquum ſupereſt æui, ſi quid ſupereſſe volunt Dî, vt ait Horatius.

Qui nomen aui geris) Qui vocaris Ausonius, vti ego. In Genethliaco sic ad eundem nepotem:

Idus sæpe colas bis senis mensibus omnes,
Ausonij quicunque mei celebraueris Idus.

Prime nepos) Nepotum primus hic fuit ex filia, nomine Ausonius: dein Arborius, vt ex Parentalibus constat.

Vel re, vel spe) Elegans disiunctum: vel reipsa, id est vere, ὄντως foueas meum senium, tuisque studijs demulceas, nec ætas ea sit mihi grauis & onerosa: vel spe id mihi præstes, quæ quanquam soleat vt plurimùm esse fallax, delinit tamen animum nescio qua opinione, vt minùs miser esse videatur qui sperat. Auson. in professoribus Burdegalensib. Herculano sororis filio, præmatura morte rapto: Spem magis, quàm rem fruendam præbuisti auunculo.

Porge) Porrige, κατὰ συγκοπὴν.

Nunc ego te puerum) Explicat apertiùs verba illa vel re: vel spe: sperat enim si Dij ita dederint, nepotulum, iuuenem & virum se aspecturum. Nemo enim est tam senex qui se annum non putet posse viuere. & cùm omniũ ætatum sit certus aliquis terminus, senectuti nullus est datus terminus. Huc pertinent verba illa ex fragmento Genethliaci ad eundem nepotem:

-- vt reducem fatorum ab fine senectam
Sospes agam: festúmque diem dubitatáque cernam
Sidera, deposito propè conclamatus in æuo.
Hoc mellite nepos, duplicato fœnore partum
Natali accedente tuo: munúsque salutis
Plenius hoc nostræ, quod iam tibi puberis æui
Crescit honos: iuuenémque senex iam cerno nepotem.

Nec vota fatiscent) Non desinam vota facere, optare, sperare, quanquam maximè senex.

Vt patris, vtque mei non immemor) Nullus stimulus acrior est ad retinendos in officio adolescentes, quàm parentum, maiorúmque virtus. Cordatè Plinius Secundus 5. epist. 8. Inuenio apud sapientes (inquit) honestissimum esse maiorum vestigia sequi, si modò recto itinere pro-

ceſſerint. Et quidem beati illi cenſendi quibus contigit vnum atque idem optimum & coniunctiſſimum exemplar: qui denique eos potiſſimum imitandos habēt quibus natura eſſe ſimillimos voluit, vt idem ait 8. lib. 13.

Ardua ſemper præmia Muſarum cupias) Litterarum meliorum fructus honores & dignitates, quas hîc Auſonius videtur adumbrare. Id enim conſilium eáque mens clarorum virorum, & eorum qui ſua virtute, multiſque laboribus ad ſummos Reipubl. honores ſunt euecti, vt ſuos liberos omni cura & ſtudio impellant ad eandem ingrediendam viam, vt quoad eius maximè fieri ab ijs poſſit, eandem in ſua familia gloriam perpetuam faciāt. Sic apud Poëtam 12. Æneid. verba Æneę ad Aſcanium:

Tu facito: mox cùm matura adoleuerit ætas,
Sis memor, atque animo repetentem exempla tuorum,
Et pater Æneas, & auunculus excitet Hector.

Proconſul genitor) Duo fuere Auſonij huius, filij: maior natu Auſonius: alter Heſperius. ex filia verò hic Auſonius nepos, patrem habuit Thalaſſium Auſonij noſtri Poëtæ generum, qui fuit Africæ Proconſul, ſub Impp. Valente & Valentiniano. At comperio Aquilium Heſperium prefectum fuiſſe Prætorio Galliarum, quo anno Conſul fuit Auſonius cum Olybrio.

Perlege quodcunque eſt memorabile, & vt tibi proſit.
Conditor Iliados, & amabilis orſa Menandri
Euoluenda tibi. Tu flexu & acumine vocis,
Innumeros numeros doctis accentibus effer:
Affectuſque impone legens. Diſtinctio ſenſum
Auget: & ignauis dant interualla vigorem.

Perlege quodcunque eſt memorable) Vt à Plinio Secundo

ſcriptum legimus 1.epiſt. 5. Stultiſſimum eſt ad imitandum non optima quæque proponere: ſic qui ſtudio artium liberalium addicti ſunt, parùm admodùm mihi videntur ſapere, qui auctores non ſibi optimos quoſque ad legendum proponunt. Plurimùm refert à quo quis accipiat, ait idem de doctore probo legendo 3. 3. epiſt. quod & nos de libris intelligi volumus. Fabius, quem noſtri quidam, docti certè homines, optimum iuuentutis inſtitutorem nominant, ea de re latiſſimè diſputat lib. Inſtitutionum decimo, qui liber, quia eſt in omnium manibus, nihil attinet huc à me citari, ex eodem plura. Intereà tamen occurrit pręclarus Iſocratis locus ad Demonicum, quo monet ex omni ſcriptorum genere ſublegat ea omnia quę ad mores & ſtudiorum progreſſum faciant. Eius hæc verba: Οἷς χρὴ παραδείγμασι χρωμένους ὀρέγεσθαι τῆς καλοκαγαθίας, καὶ μὴ μόνον τῆς ὑφ' ἡμῶν εἰρημένης ἐμμένειν, ἀλλὰ καὶ τῶν ποιητῶν τὰ βέλτιστα μανθάνειν, καὶ τῶν ἄλλων σοριστῶν, εἴ τι χρήσιμον εἰρήκασιν, ἀναγινώσκειν. ὥσπερ γὰρ τὴν μέλιτταν ὁρῶμεν ἐφ' ἅπαντα μὲν τὰ βλαστήματα καθιζάνουσαν, ἀφ' ἑκάστου δὲ τὰ χρήσιμα λαμβάνουσαν· οὕτω χρὴ καὶ τοὺς παιδείας ὀρεγομένους μηδενὸς μὲν ἀπείρως ἔχειν, πανταχόθεν δὲ τὰ χρήσιμα συλλέγειν. μόλις γὰρ ἄν τις, ἐκ ταύτης τῆς ἐπιμελείας, τὰς τῆς φύσεως ἁμαρτίας ἐπικρατήσειεν. Significat ex optimo quoque ſcriptorum genere diſcendum, eáque memoriæ infigenda quæ viri ſapientes vtiliter præceperunt: nec aliter quàm apes inſidendum floſculis omnibus, ſed de ſingulis vtilia decerpenda. Eſt enim operępretium vt nullus planè rei ſint rudes qui ſectantur ſtudia, ex ijsque fructum ſibi comparaturi ſunt. Non enim niſi difficulter admodum, hac diligentia inſitam naturæ prauitatem corrigere poſſumus. Quibus ex verbis Iſocrates videtur ſuadere lectionis varietatem: quæ tamen niſi adhibito delectu & iudicio, neſcio an plus officiat quàm iuuet, vti ſcitiſſimè diſputat Stoicus Seneca epiſt. 2. Sunt enim veteres in primis deligendi, non quidem omnes, ſed probatiſſimi, ex quibus ſolida paratur eruditio. Ex recentioribus ſunt nonnulli minimè aſpernandi,

ſed ij maximè qui fœliciter veteres illos æmulantur. Quod argumentum certe copioſum & vtile admodum ſtudioſis,quia memini me pluribus tractaſſe,& illuſtraſſe anno ſuperiore, cùm in Marchiano publicè orationẽ Baſilij magni πρὸς νέους explicarem,hîc non ero lõgior. Sed lege intereà Quinctilianum lib.2.cap.5. & conſiliũ Senecæ de non deguſtandis bonis auctoribus, ſed peruolutandis,epiſt.33.

Priua monebo) Satis eſt prima & præcipua monuiſſe, non ſingula recenſendo quaſi numerare. Cætera vel ingenio relinquenda, vel vſu addiſcenda. Si tamen priua legas cum Scaligero,cui aſſentior, vnumquemque ſcriptorem præcipuum,& in ſuo genere nobilem interpretabor.

Conditor Iliados) Homerus. ſic deſcribitur à Iuuenale, Saty. 11. vt ab Horatio, Troiani belli ſcriptor:à noſtro Auſonio,initio Perioches, Homerum ſcriptorem Troici belli nominari memini. Multa alia ſunt Homeri elogia,de quibus alio à me loco pluribus. Nunc ad rem. hoc elogium ſeu deſcriptio pręſtantiſſimi Poëtarum ſumitur à laude celeberrimi poëmatis, de rebus ad Ilium geſtis.à Plutarcho dicitur θαυμαστὸς καὶ σοφώτατος ἀρχιτέκτων.ab alijs quibuſdam πάνσοφος καὶ ἀοιδῶν ἄριστος: ingenij cœleſtis vates,à Valerio Maximo 8. cap. 8. primus doctrinarum & antiquitatis parens, Plinio 25. cap. 2. hiſt. natur. Lege Fabium Quinctilianum 10. lib. Optime inſtitutum,inquit Fab.lib.1.cap.8. vt ab Homero atque Virgilio lectio inciperet:quanquam ad intelligendas eorum virtutes firmiore iudicio opus eſſet.Idẽ lib.10.cap.1.Vt Aratus ab Ioue incipiendum putat (inquit) ita nos rectè cæpturi ab Homero videmur. Hic enim (quemadmodum ex Oceano)dicit ipſe amnium vim fontiúmque curſus initium capere, omnibus eloquentiæ partibus exemplum & ortum dedit. Hunc nemo in magnis ſublimitate,in paruis proprietate ſuperauerit. Idem lętus ac preſſus,iucundus & grauis,tum copia,tum breuitate mirabilis,nec poëtica modò, ſed oratoria virtute eminentiſſimus.

Orſa Menandri) Comœdię Menādri, quæ olim magno in honore fuerint, vt didicimus ex Grammaticis. Plutarchus in Paralellis, & Fab. lib. 10. eum laudant. de hoc plura dialogo 7. hiſtoriæ poëtarum Gyraldus.

Tu flexu & acumine vocis) Monet articulatam, claram & diſtinctam pronunciationem addiſcat. De hac Fab. cap. 5. lib. 1. cuius iudicium magni facio, eo quod maximè verum vſu æſtimemus: Ait enim cap. 8. vbi de lectione pueri agit, in qua puer ſcire debet, inquit, vbi ſuſpendere ſpiritum debeat, quo loco verſum diſtinguere, vbi ſenſus claudatur, vnde incipiat, quando ſubmittenda vel attollenda vox ſit: quid quoque flexu, quid lentiùs, celeriùs, concitatiùs, leniùs dicendum, demonſtrari niſi in opere ipſo non poteſt. Vnum igitur eſt, quod hac in parte præcipiam, vt omnia iſta facere poſſit, intelligat. Sit autem in primis lectio virilis, & cum ſuauitate quadam grauis, & non proſæ quidem ſimilis, quia carmen eſt, & ſe poëtæ canere teſtantur: non tamen in canticum diſſoluta, nec plaſmate (vt nunc à pleriſque ſit) effœminata. De quo genere optimè C. Cæſarem prætextatum adhuc accepimus dixiſſe: Si cantas, malè cantas; ſi legis, cantas.

Innumeros numeros) ſolutos Comœdiæ verſus: quæ quidem pedibus incedit, ſed ſolutioribus, neque lege vinctis adeò ſeuera, vt ſunt alia poematum genera. Quam explicationem debeo Ioſep. Scaligero viro doctiſſimo, inter huius æui noſtri πολυμαθεστάτους familium ducente.

Ecquando iſta mea contingent dona ſenectæ?
Quando oblita mihi tot carmina, tótque per æuum
Connexa hiſtoriæ, ſoccos, aulæá que regum,
Et melicos, lyricoſque modos, præfando nouabis
Obductóſque ſeni facies puraſcere ſenſus?

Te præeunte, nepos, modulata Poemata Flacci,
Altisonúmque iterum fas est didicisse Maronem.

Ecquando ista meæ) Optatio qua declaratur illa στοργὴ aui in nepote, ex quo sperat se maximam animo voluptatem percepturum, cùm adolescens memoria ferax reuocabit auo carmina iam senij vitio, aliáque multa quæ olim tenebat vt digitos, obliterata.

Oblita mihi) Nempe quia memoria minuitur in senibus, ait Cato apud Ciceronem, de senectute. Idem initio 12. ad Atticum: γεροντικώτερον est memoriola vacillare. Seneca initio controuersiar. Cùm multa iam mihi ex me desiderari senectus fecerit, oculorum aciem retuderit, aurium sensum hebetauerit, neruorum firmitatem fatigauerit, inter ea quę retuli, memoria est, res ex omnibus animi partibus maximè delicata & fragilis, in quam primùm senectus incurrit. Porro, id est, a Virgilio mutuatus ecloga 9. *Nunc oblita mihi tot carmina* ——

Connexa historiæ) Historias, quibus narrationes narrationibus, factisque facta connectuntur: quasi dixerit, vt scias connectere temporum historiam. De multiplici genere historiarum multa aliàs docuimus, nempe cùm aggrederemur ad explicationem belli Catilinarij.

Soccos) Quia socco vtebantur in Comędijs, vt cothurno in Tragœdijs, factum est vt soccus pro Comœdia, cothurnus pro Tragœdia vsurpetur apud poetas. Horatius,

Hinc socci cæpere pedem, grandésque cothurni.

Aulæa regum) i. Tragœdias, per metonymiam adiunctorum aulæorum pro subiectis Tragœdijs, in quibus edendis, ad ornatum magnificum aulæa solebant adhiberi. Æschylus modica scena vsus, neque ita magni apparatus: Sophocles verò ampliorem habuit, vt videtur innuere in arte poetica Arist. Victruuius signis, columnis, rebusque alijs Tragicam scenam exornat, vt sit quasi regius apparatus: at Comicam vulgaribus & priuatis:

Satyricam frondibns arborum, montibus, ſpeluncis. Virgil.3.Georg.

Vel ſcena vt verſis diſcedat frontibus, atque
Purpurea intexti tollant aulæa Britanni.

Et melicos, lyricóſque) Carmina lyrica, qualia ſcripſit Alcęus, Simonides, Pindarus, Horatius. De generibus & differentijs poëmatum permulta memini & ſæpe diſputaſſe me, cùm epiſtolam ad Piſones Horatianam nō longè antè prælegerem, vt nihil habeam nunc neceſſe hîc ea de re dicere.

Facies puerascere ſenſus) Queſitum eſt à Philoſophis cur decrepiti ſenes, & quorum ſenſim deficiunt ſenſus, ita capiantur puerorum conſuetudine. Id ego propriè intellexerim de ijs qui πέμπελοι nominantur Græcis, & quorum decrepita iam ætas: in qua quòd animales facultates hominem deficiant, & in dies iudicium fiat hebetius, ad infantum ingenium redeunt, adeout pueriliter ſapere videantur.

Puerascere) Quaſi repueraſcere, vt alludat ad prouerbium de quo ſuprà, *Bis pueri ſenes*. ἄλλοι πολὺ γήρως ἀκμάζουσι, ait in Axiocho Plato, καὶ των δὶς παῖδες οἱ γέροντες γίγνονται: multi longa ſenectute repueraſcūt, & bis pueri ſenes fiunt. Ita verbum iuuenari, reperio vſurpatum ab Horatio, ex imitatione Græcorum qui dicunt νεανίζειν. Cicero dixit repueraſcere, 2. de Oratore: Lælium ſemper ferè cum Scipione ſolitum ruſticari, eóſq; incredibiliter repueraſcere eſſe ſolitos &c.

Modulata poëmata Flacci) Horatianas Odas. poeta certè bonus Horatius laudatur ob ſimplicitatem, puritatémque Latini ſermonis, tum etiam acumen inueniendi, & iudicandi peritiam. Is eſt Lyrici carminis princeps, quo vno, ſi careremus, nullum in Latina ciuitate haberemus exemplar muſæ Lyricæ.

-- Parios is primus iambos
Oſtendit Latio, numeros, animóſque ſecutus
Archilochi, non res & agentia verba Lycamben.
Et, quem non alio dictum priùs ore Latinis
Vulgauit fidicen.

De se ita loquitur 3.Carm.initio,

-- *Carmina non priùs*
Audita Musarum sacerdos
Virginibus, puerisque canto.

Altisonúmque iterum) Virgilium, qui grandiloquo scribendi charactere vsus est. In longè multis Homerũ fœlicissimè æmulatus, in non paucis etiam tempestiua breuitate simul & grauitate superauit. Eum siquis pro dignitate laudaturus veniat, sciat se id minimè præstare posse, nisi Virgilianum dicendi genus antè consequatur.

Tu quoque, qui Latium lecto sermone Terenti
Comis, & astricto percurris pulpita socco,
Ad noua vix memorem diuerbia coge senectam.
Iam facinus, Catilina, tuum, Lepidíque tumultum:
Ab Lepido & Catulo iam res & tempora Romæ
Orsus, bis senos seriem connecto per annos.
Iam lego ciuili mistum mauorte duellum,
Mouit quod socio Sertorius exul Hibero.

Tu quoque) Hoc ad laudem Terentij Comici, qui lecta, pura, & eleganti dictione vsus est. Hunc Afranius poëtis omnibus Comicis antefert hoc senario,

Terentio non similem dices quempiam.

Alia est opinio Volcatij apud Gellium, quam ne quidẽ pili facimus, vt profectã ab homine inuido, vel nullius certè iudicij. Cæterùm duo hi versus ferè sumpti sunt ex ijs qui Ciceroni tribuuntur: quosque in fragmentis Tullianis legimus.

Astricto socco) Videtur oratio Terentiana non vincta numeris,sed soluta. At tamen siqui aliquantùmin poetica profecerunt,facilè vident nullos non versus Terentianos esse vinctos quidem, at licentiores, vt qui pedibus imparibus multa genera carminum, & interdum etiam in paribus admittant.

Percurris pulpita) In scenam resumptę sunt non semel quædam Terentij Comœdię, vt Eunuchus bis: Heautontimorumenos ter:etiam ter Hecyra:qua ratione dicit eum percurrere pulpita.

Diuerbia) Monodium erat in fabulis,cùm vnus aliquis è scena cantum proferebat,nec simul chorus.Cantica in Comœdijs,vbi vnus loqueretur:sicut diuerbia, cùm diuersæ agebant personæ.Cæl.Rhodig. Lection. antiq. 9. cap.7.

Iam facinus,Catilina,tuum) Historiam coniurationis Catilinariæ,quam vere Sallustius & disertè descripsit.Cæterum à Sallustio editos fuisse libros historiarum quinque,veteres Grammatici tradunt. nullos habemus superstites præter Catilinarium & Iugurthinum,cũ fragmentis aliquot.

Ab Lepido & Catulo) Initium hoc fuit 1.lib.Histor.Sallustij.Extat enim M.AEmilij Lepidi oratio quædam ex historiarum primo Sallustij.Huius quędã verba Fronto Grammaticus citauit.initium hoc fuit, Res populi Romani M.Lepido, Q. Catullo Coss. domi & militiæ gestas composui.Hic ergo Lepidus Consul legem tulit de actis Syllæ rescindendis,vt qui præscripti fuissent à Sylla,& ciuitatem & bona reciperent. ex quo Rempubl. valdè perturbauit. Hunc tumultum intra vnam ęstatem oppressit Catullus Lepidi collega. Lege Plutarchum.

Iam lego ciuili) Bellum Sertorianum gestum in Hispania:de quo Liuius lib. 9. Exul & profugus Sertorius feralis tabulę Syllanę causa,vir summæ quidem, sed calamitosę virtutis, bellum ingens mouit totos pene octo annos,domesticis tandem insidijs ex coniuratione Perpennę oppressus inter epulandum. Dubitat Florus an id bellum ciuile, an externum dicendum sit, nempe

quod à Lusitanis & Celtiberis gestum sit Romano duce.

Nec rudis hoc auus admoneo, sed mille docendo
Ingenia, expertus. Multos lactantibus annis
Ipse al i: gremioque fouens & murmura soluens,
Eripui tenerum blandis nutricibus æuum.
Mox pueros molli monitu, & formidine leni
Pellexi, vt mites peterent per acerba profectus,
Carpturi dulcem fructum radicis amaræ.
Idem vesticipes motu iam puberis æui,
Ad mores, artésque bonas, fandique vigorem
Produxi: quanquam imperium ceruice negarent
Ferre, nec insertis præberent ora lupatis.

Nec rudis hoc auus admoneo) Quod hîc te doceo, non perinde facio, vt qui sus Mineruam. id non loquor inexpertus: primis enim annis doctoris sustinui munus. Sic ipsemet de sese in epistolis:

Nos ad Grammaticen studium conuertimus, & mox
Rhetorices etiam quos satis, attigimus.
Nec fora non celebrata mihi: sed cura docendi
Cultior: & nomen Grammatici merui.

Respexit autem ferè ad Plinianum illud initio 7. epist. Quod suadeo alijs, ipse certè sic agere sanus cum meis soleo.

Mille docendo) Numerus certus pro incerto per Synecdochen, vt apud Horatium in epistolis,

Gaude quòd spectent oculi te mille loquentem.

Persius Saty. 3. numero centenario pro magno vsus est,

Ten' cirratorum centum dictata fuisse
Pro nihilo pendas?

Lactantibus annis ipse alui) Sic in Parentalibus, 14.

Lactantis nati vix bene note puer

Murmura soluens) Loqui docens. vt apud Horatium,

Os pueri tenerum, balbúmque poëta figurat.

eo verbo vsus in Genethliaco,

Vt respondendas docili quoque murmure voces
Emendata rudi proferret lingua palato.

Et in Parentalibus, 10.

Murmura quem primis meditantem absoluere verbis
Indolis & plenè planximus exsequijs.

Mox pueros molli monitu) Blandus & comis pręceptor Ausonius, vt sunt omnes ferè seriò docti, qui cum doctrina coniunctam habent morum facilitatem. Quid enim contrà faciunt plagosi illi Orbilij, adolescentum pestes, quàm vt sua diritate & truculentia pueros ingenuos, & ad discendum natos in eam desperationem interdum conijciant, vt ex hominibus in belluas illi transformentur?

Radicis amaræ) Sententia planè aurea, quam Isocrati tribuit Aphtonius in progymnasmatis: Is ergo doctrinę radicem amaram quidem, sed fructus dulces aiebat i. τῆς παιδείας ῥίζαν πικρὰν, γλυκεῖς δὲ τοὺς καρποὺς.

Idem vesticipes) id est, iuuenes, quorum genę iam pilis vestiri incipiunt. Arrogari non potest nisi iam vesticeps, inquit Gellius cap. 19. lib. 5. Cui opponitur, apud Palladium, inuestis siue imberbis. Significat vt pueris, sic & adolescentibus sese accomodauisse, vt iuxta horum & illorum captum ea propinaret quę conferrent ad ingeniorum cultum. quod & monuit Fabius disertè ad finē 2. cap. lib. 1. & toto cap. .eiusdem libri.

Ad mores artésque bonas) Nescio an casu an consilio potiùs, prętulerit mores artibus. sed certè cùm finis doctrinę omnis sit bonorum morum cultus, adde quod nunquam benè artes sine moribus addiscantur, vt preter ceteros asseuerat cordatus monitor Plinius lib. epist. 3. ad Coreiliam Hispullam, priorem locum moribus dedit,

alterum vero artibus bonis. Proinde fauentibus Dijs, trade Filium tuum pręceptori, à quo primum mores, mox eloquentiam discat: quę malè sine moribus discitur. Sic Fabius cap. 8. lib. 1. Imprimis tenerę mentes tractureque altiùs quicquid rudibus & omnium ignaris insederit, non modò quę diserta, sed vel magis quę honesta sunt, discant.

Fandi vigorem produxi) Cum hoc non omnino malè ausim illud Horatianum conferre:

Quid voueat dulci nutricula maius alumno
Quàm sapere & fari possit quæ sentiat?

Quanquam imperium ceruice) Quàm sint difficiles & turbulenti & intractabiles adolescentum affectus nemo nescit. In vitium flecti faciles, monitoribus asperi, vt rectè sentit Horatius. Socrates in Theęteto Platonis, de adolescentibus, ὥστε ἀτεχνῶς δάκνειν ἕτοιμοι εἶναι, ἐπειδὰν τινὰ λῆρον αὐτῶν ἀφαιρῶμαι. Prompti sunt ad mordendum, quoties aliquas ineptias ijs demo.

Imperium ceruice) Ducta ab equis refractarijs metaphora: qua significatur adolescentum sublimis illa proteruitas, & impotentia qua nemini parere volunt vel rectè monenti, vel vtilitatis causa iustè & legitimè imperanti. Ad id respexisse videtur Horat. 1. epistolar.

Fingit equum tenera docilem ceruice magister
Ire viam, &c.

Quo sensu Themistocles dixisse fertur, cùm de institutione adolescentum verba faceret, indomitos pullos, in optimos equos euadere, si quis à teneris eos assuefaceret. Metaphoram eandem sed aliorsum vsurpauit Saty. 6. Iuuen.

-- *submitte caput ceruice parata*
ferre iugum.

Ausonius eo sensu & tropo vsus est in epistola quadam ad Paulinum,

Hoc tam mite iugum docili ceruice subirent.

Et post,

-- *namque ego semper eontenta ceruice feram.*

Epistola deniq; ad Paulum, quę legitur 14. numero, ad Ausonium.

Ausonium.

Hoc nostra ceruice iugum non sæua resoluit
fabula,

Qui locus mihi reuocat in mentem longè pulcerrimam Platonis disputationem 7. de Legibus, quo loci ait puerum esse omni bellua intractabiliorem. cùm enim nondum sibi prospicere potest, fit insidiosissimus, maximeq; intractabilis & petulantissimus omnium bestiarum. itaque multis quasi frenis est constringendus. Eius hęc ipsissima verba: ὁ δὲ παῖς πάντων θηρίων ἐστὶ δυσμεταχειριστότατον, ὅσῳ γὰρ μάλιστα ἔχει πηγὴν τοῦ φρονεῖν μήπω κατηρτυμένην ἐπίβουλον καὶ δριμὺ καὶ ὑβριστότατον θηρίων γίγνεται. διὸ δὴ πολλοῖς αὐτὸν οἷον χαλινοῖς τισι δεῖ δεσμεύειν.

Ardua temperies, dura experientia, rarus
Euentus, longo rerum spectatus ab vsu,
Vt regat indocilem mitis censura iuuentam.
Quæ tolerata mihi, donec iam ærumna iuuaret,
Lenirétque vsum bona consuetudo laborum:
Donec ad Augustæ pia munera disciplinæ
Accirer, varioque accingerer auctus honore:
Aurea quum parere mihi palatia iussum.

Ardua temperies) Difficile est ad moderationem iuuenes feruidos & ebullientes reuocare. Verbum temperiei pro lenitate seu moderatione facilitatéue vsurpat in Parent.

Tu grauis & comis cum iustitiáque remissus,
Austeris doctus iungere temperiem.

Dura experientia) Immò πεῖρα σφαλερὴ, vt Hippocrates dixit: nisi fortè duram experientiam, difficilem & molestam interpreteris. Non enim nisi multis laboribus paratur. Huc fortè Ouid. 6. Metam.

non omnia grandior ætas

Quæ fugiamus habet: seris venit vsus ab annis.

Idem 15.

——— mihi multa vetustas scire dedit.

Rarus euentus) Quia quanquam parentes diu multúmque in educandis & instituendis liberis elaborarint, eis bonos pręceptores & eruditos curarint, nullúmque non lapidem mouerint ad eos euehendos, tamen interdum spe frustrantur sua. Plato 2. Leg. τὰ τῶν νέων ἤδη πολλὰς μεταβολάς ἐν τῷ βίῳ μεταβάλλει ἑκάστοτε πέφυκε. Qua ratione Theophanes dixit esse χαλεπὸν καταμαντεύεσθαι περὶ τῶν νέων, prædicere de iunioribus, quales futuri sint: est enim ἀστόχαστος ἡλικία, καὶ πολλὰς ἔχουσα μεταβολὰς ἄλλοτ' ἐπ' ἄλλο φερομένη. Sed cur rarus euentus? an quia omne τίμιον σπάνιον, rarum carum? an quia raró accidat quod est de liberis à parentibus consultatum? Iam veró ea est hominum stultitia atque peruersitas, vt ab euentu facta æstiment, ipsáque adeó consilia non bene capta esse iudicent, nisi euentus perinde respondeat. Qua de re loquitur nescio quis apud Plautum Mostellaria:

Euentus rebus in omnibus, velut in horreo horna messis
Magni fit.

Seneca consolatione ad Martiam. cogita animi mille labes. neque enim recta ingenia, qualem in adolescentia spem sui fecerant, vsque in senectutem pertulerunt, sed interuersa plerunque sunt & sera, eáque fœdior luxuria inuasit, & cogit dehonestare speciosa principia. Sed dicamus vnà cum bono illo consultore: Consilia in hominum manu sita sunt, euentus à Deo pendet.

Quæ tolerata mihi) Semper iterat à suo exemplo nequid in se noui statui velle persentiscat puer. Notum illud Flacci, inque scholis iteratum sæpe,

Qui studet optatam cursu contingere metam
Multa tulit, fecitque puer, sudauit & alsit.

Id vero inculcat bonus Ausonius nepotulo suo, vel eũ vt spe præmiorum accẽdat ad honesta studia, vel quòd grata esse soleat laborum antè actorum memoria.

Donec ad Augustæ) Factus est præceptor Gratiani è

Rhetoricæ professore, accitus ab imperatore Valentiniano Ausonius, vir certè doctissimus, & inter præcipua sui seculi ornamenta numerandus, vt loquitur de Capitone Titinio Plinius epist.8. Sed noster Ausonius id memorat in epistola, cuius initium:

Ausonius genitor &c.
Exactisque dehinc per trina decennia fastis,
Asserui doctor municipalem operam.
Aurea & Augusti palatia iussus adire,
Augustam sobolem Grammaticus docui.

Idem epist.ad Theonem 21.

Ausonius, cuius ferulam nunc sceptra verentur.

Varióque accinctus honore) Multos dignitatum gradus obtinuit Comitis nomine, nempe Quæsturam, præfecturas, tandémque Consulatum. quos tamen honores sub Cæsaribus inanes fuisse constat. Sic in epistolis:

Cuius ego Comes, & Quæstor, & culmen honorum,
Prefectus Gallis, & Lybiæ, & Latio.

Absistat Nemesis: ferat & fortuna iocantem.
Præsedi imperio, dum prætextatus in ostro,
Et sceptro, & solio, sibi præfert iura magistri,
Maiorésque putat nostros Augustus honores.

Absistat Nemesis) Non sunt sine metu quibus est secunda fortuna: cuius domus vitrea, quę cùm splendet, frangitur. Nemesin Deam faciunt arrogantiæ omnis vindicem. Aristoxenus apud Stobæum, iudicii angelũ, & omnium consideratricem nominat: δίκης ἄγγελον, πᾶσιν ἐπίσκοπον.

De Nemesi sic in Mosella:

Da veniam mihi Roma potens: pulsa oro facessat
Inuidia, & Latiæ Nemesis non cognita linguæ.

Et epistola ad Paulinum, quæ 10. numero legitur.

Grande aliquod verbum nimirum diximus, vt se
Inferret nimijs vindex Rhamnusia votis, &c.

Idémque precatione pridie kalend. Ianuarii iam Consul designatus,

Ecce vbi se cumulat mea purpura, mitibus audi
Auribus hoc Nemesis: post me dignatur oriri
Augustus Consul.

Præsedi imperio) Imperaui ipsi Imperatori, aut potiùs ei qui imperatoria dignitate est à patre Valentiniano donatus, cùm prętextatus puer esset natus annos circiter octo. Sed hanc tamen explicationem nolo tam facilè admitti vt nimiùm à magistris meis persuasus, qui superiore nostro ęuo viri certè boni fuere, sed non satis eruditi (absit dicto inuidia) vt qui ferè omnia ęstimarent ex sua facultate, non veritatis firmamento. Quæ igitur loci huius ratio? significat se factum Consulē anno eo antè quàm Imperator Gratianus: Quod præter Fastorum fidem asseuero ex ipsis Ausonij verbis, ephemeride:

Fascibus Ausonij succedet Cæsar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris,
Ecce vbi se cumulat mea purpura, mitibus audi
Auribus hoc Nemesis: post me dignatur oriri
Augustus Consul: plus quàm conferre videtur
Me sibi, qui iussit nostros præcedere fasces.

Deinde,

Noctibus acceleret promissus Cæsaris annus:
Illum ego si cernam, tum tèrque quatérque beatus,
Tunc ero bis Consul, tunc tangam vertice cœlum.

Et hunc ego quidem video huius loci sensum germanum. Alijs etiam multis locis idem sui Consulatus meminit, adeó vt arrepta omni occasione non possit eum honorem sine aliquo pręconio transilire: vt epigrammate de suis Fastorum libris ad Gregorium:

Exemplum iam patris habes, vt protinus & te
Aggreget Ausonijs purpura Consulibus.

Et paulò post supputat annos ab vrbe condita in Consulatum eundem suum:

Mille annos, centúmque, & bis fluxisse nouenos
Consulis Ausonij nomen adúsque leges.

Deinde etiam:

Scire cupis qui sim? titulum qui quartus ab imo,
Quære: leges nomen Consulis Ausonij.

In vrbium illustrium catalogo:

Diligo Burdigalam: Romam colo: ciuis in illa,
Consul in ambabus. Cunæ hîc, ibi sella curullis.

Et epist. Paulino 6.

Quanquam & fastorum titulo prior, & tua Roma
Præcessit nostrum sella curullis ebur.

Ad eundem epist. 10.

Paulinum Ausoniúmque viros, quos sacra Quirini
Purpura, & auratus trabeæ velauit amictus.

Ad Tetradium vero,

Cur me supino pectoris fastu tumens
Spernis poëtam Consulem?

In ephemeride legitur precatio Consulis Ausonij designati,

Jane veni noue, anne veni, renouate veni sol,
Consulis Ausonij Latiam visure curulem.

Ad finem penè,

Fascibus Ausonii succedet Cæsar in annum,
Quintam Romulei prætextam habiturus honoris. &c.

Meminit & in Cæcilio Argicio, Parentalibus. Quo studiosè locos adducenti mihi vereor ne quis succenseat, vt qui non probet nimium diligentem: sed hoc tamen exigitur docentis officio. Legendus est interea Panegyricus eiusdem Gratiano dictus, non minus officiosè, quàm d[i]sertè & sententiosè scriptus: quem quoties legimus, quem oratorem, quem Philosophum non cõtemnimus?

Quos mox sublimi maturus protulit auctu:
Quæstor vt Augustis patri, natóque, crearer:
Vt præfecturam duplicem, sellamque curulem:
Vt trabeam, pictámque togam, mea præmia,

Consul
Induerer: fastisque meis prælatus haberer.

Quos mox sublimi) Quos honores Augustus ille posteà auxit & cumulauit, méque ex Grammatico puluere ad summos dignitatum gradus extulit. Eos honores inculcat, iterátq; non sine magna voluptate animi. Quod idem disertis verbis Plinius fatetur ad Antonium Gallum lib. 4. epist. 17. vbi sui consulatus meminit: Accedit huc dignitas hominis (loquitur de Cæcilio, designato Consule) atque huic ipse cui destinatus est honor: cuius hoc maior agenda reuerentia est, quòd iam illo functi sumus. Naturale est enim cuiq; vt ea quæ quis adeptus est, ipsa quàm amplissima existimari velit.

Quæstor) De Ausonii quæstura mentio est in epistola ad Vrsulum:

Proximus ex longo gradus est, Quæstoris amici
Curam pro strenis excubuisse tuis. Et in epistola quam laudaui proximè:

Cuius ego Comes & Quæstor.

Patri natóque) Valentiniano & Gratiano. de ijs epist. 4.

Saluere Augustos iubeo, natúmque, patrémque
Armiferis alui quos ego Pannonijs.

Vt præfecturam duplicem) Nempe Galliæ & Lybiæ. sic epicedio in patrem, ait ex vna vxore quam habuit, se tres natos sustulisse, ex quibus

Prima obijt lactens: at qui fuit vltimus æui,
Pubertate rudi non rudis interijt.
Maximus ad summum culmen peruenit honorum,
Præfectus Gallis, & Lybiæ, & Latio.

Natos tamen quatuor edidisse Ausonium constat ex Parentalib. Is præfectus fuit Prætorio Galliæ, & Lybiæ, & Latio, id est Africæ, & Italiæ: quæ duæ fuere præfecturę: nam eo tempore fuit Africa sub regimine præfecti Prætorio Italiæ. isque ordo mansit ad tempora vsque Iustiniani, vt est ff. de off. præfec. Prætor.

Trabeam, pictámque togam) Consules inito statim magistratu, votis nuncupatis paludati & trabeati erant regio planè cultu. Erat enim toga palmata seu triumphalis, togaque picta maiorum magistratuũ, vt Consulum & triumphantium, sicut ex Plinio cognoscimus. Pictam verò togam ἀνθινὴν suspicantur fuisse quidam litterati viri, cuius apud Atheneum, Strabonem, aliósque mẽtio. Ausonius noster me docuit, trabeam vt in pace Cõsulibus, sic à victoribus qui triumphum ducebant vsurpatam: idémque eandem consularem, modò trabeam, modò palmatam, modò pictam togam, vt hîc, nominat: tametsi pro diuersis videatur accepisse Plinius lib. 8. hist. nat. Narrat Plutarchus Æmilium Paulum in triũpho de Perse, trabea auro depicta vsum. Insignis est profecto locus apud Liuium de tributis honoribus Massinissæ à duce pop. Romani: quem primum regem dicit appellatum, aurea corona, patera aurea, sella curulli eburnea, scipione eburneo, toga picta, & palmata tunica donatum. Certè constat Prætores & Consules cõsuesse prætextam & togam pictam de Iouis templo accipere. Verba hæc sunt Lampridij in Alexandro: Prætextam & pictam togam nusquam, nisi Consul, accepit, & eam quidem, quam de Iouis templo alij quoque accipiebãt aut Pretores aut Consules. Sic Paulinus epist. ad Ausonium, quæ inter Ausonianas 15. legitur,

Romanum Ausonias huc deuexisse curuleis
Conqueror, & trabeam veteri sordescere fano?
Quæ tamen Augusta Latialis in vrbe Quirini
Cæsareas inter parili titulo palmatas
Fulget natiuo longè venerabilis auro
Florentem retinens meriti viuacis honorem.

At ipse Ausonius ad Paulinum 12. epist.

Sic trabeam Pauline tuam, Latiámque curulem
Constituis.

Fastisque meis prælatus) Ausonij collega in Consulatu Hermogenianus Olybrius fuit: cui se prælatũ gloriatur. Ita in epistolis de se scribit:

Et prior indeptus fasces, Latiamque curulem

Consul, collega posteriore fui.

Sed longè plura his leges in Panegyrico ad Gratianũ.

His ego quæsiui meritum quam grande nepoti
Consul auus: luménque tuæ præluceo vitæ.
Quamuis & patrio iamdudum nomine clarus,
Posses ornatus, poßes oneratus haberi,
Acceßit tamen ex nobis honor inclytus. hunc tu
Effice, ne sit onus: per te vt connixus in altum
Conscendas: sperésque tuos, te Consule, fasces.

His ego quæsiui) Aduerte quàm loquax bonus ille senex, quámque multa de suis meritis inculcet iterando penè vnum idémque. Sed hoc dandum ætati, adde quod de suis virtutibus possit aliquid prædicare ἀνεπιφθόνως: non enim hoc facit vt sese apud nepotulum venditet, sed vt eum ad gloriam & laudem excitet. Rectè Plinius Secundus 1. epist. 8. Vt aliquis libenter educationis tædium laborémque suscipiat, non præmijs modò, verumetiam exquisitis adhortationibus impetrandum est: vt medici salubres, sed voluptate carentes cibos blandioribus alloquijs prosequuntur.

Lumen tuæ præluceo vitæ) ego mea virtute tibi præluxi, vt intelligas tibi esse omni enitendum studio me vt sequaris optimis actionibus, omniq́ue honesto labore ad Rempub. aliquando capessendam. Etenim hanc esse Philosophię & quidem pulcerrimam partem existimandũ est, agere negocium publicum, cognoscere, iudicare, iustitiam exercere, vt Euphrates ait Philosophus apud Plinium 1. epist. 10.

Quamuis & patrio) i. patris tui, filii mei sis honore auctus.

Posses ornatus oneratus) Agnominatio pulcra, quam &

paullòpost ——— *honos inclytus* *Effice ne sit onus.*
Qui pro dignitate muneri suo respondet, in eóque ornando summam diligentiam adhibet, non est ei onus, sed honor. Et qui indignum hominem laudat, non honorat, sed onerat. Ouidius in epistolis Heroidum,

Non honor est, sed onus species læsura ferentes:
Si qua voles aptè nubere, nube pari

Accessit tamen) Vt nobilitatis fructum capias à me, qui auus tuus sum, & à patre tuo, filio meo. Valde pudendum tibi foret nobilitatem à tuis cęptam maioribus, in te desinere. Admonendus subinde adolescens, inquit Plinius 3. epist. 3. claris ortus parentibus, quibus imaginibus oneretur, quæ nomina & quanta sustineat.

Per te vt connixus) Parum enim tibi proderit ista ex maioribus ducta nobilitatis opinio, nisi tu te iis similẽ præstiteris. Non vltima certè laus est claris & ingenuis esse ortum parentibus, sed longè prętantius est sua virtute niti. Ouid. 4. de Tristib. ideo amicum commendat quòd cùm nobili genere natus esset, virtutem colebat, eóque se reapse nobilem præstaba :

O qui nominibus cùm sis generosus auorum,
Exsuperas morum nobilitate genus.

Eodem modo Maximum 1. de Ponto,

Maximè, qui tanti mensuram nominis imples,
Et geminas animi nobilitate genus.

Axiocho sciscitanti ex Phalaride docto imprimis homine, quid de nobilitate sentiret: dixit non dedecere quidem illam, vt bonum aliquod, habere in precio. vnã tamen veram esse nobilitatem, quæ virtutis est: alia omnia vt quę fortuita sunt, non perinde se habere. Si quis enim humili genere natus sit, si bonus & honestus, & iis virtutibus cumulatus, quę homine dignę sunt, verè nobilis effici potest. Contrà non pauci sunt, qui quanquã maiores suos iactent, omnium tamen improbissimi & abiectissimi censendi. Itaque nulla vera laus est nisi quę ab animi bonis proficiscitur: non à parentibus, qui nomen quidem suum & patrimonia amplissima liberis: virtutem, quæ nobilitatis causa est, relinquere nunquam

possunt.

Nam quid imaginibus, quid auitis fulta triumphis
Atria, quid pleni numeroso Consule fasti
Proficiant, si vita labat? perit omnis in illo
Gentis honos, cui vel laus est in origine sola.

Quę quanquam vera sint, tamen ab Ausonio suam nobilitatem commendari facilè patior, vt ad similem virtutem & similia facta nepotum suum inflammet obiecta honorum opinione. Reuera non minimus est aculeus ad profectum morum, quoties parentum nobilitas adolescentibus pręponitur. Euripides Hecuba,

δεινὸς χαρακτὴρ, κἀπίσημος ἐν βροτοῖς
ἐσθλῶν γενέσθαι,

Natum esse bonis, inquit, vehemens est character, & insignis apud homines. Marcus Cicero pro Sextio: Omnes boni semper nobilitati fauent: estque Reipublicę vtile nobiles esse homines dignos suis maioribus, valeréque apud nos clarorum virorum senem de Repub. meritorum mentionem, etiam mortuorum. Val. Max. cap. de fęlicitate, inter partes fęlicitatis Metelli, nō prętermisit, quod parentes nobilissimos habuisset. At de his quidem iam satis, & fortasse plus satis.



D. AVSONII EIDYLLIVM,

EX GRÆCO PYTHAGORICVM,

DE AMBIGVITATE eligendæ vitæ.





PRÆFATIUNCULA & argumentum in Ausonij, De ambiguitate vitæ eligendæ, Carmen.



EXplicaturus horis quibusdam subcesiuis hoc Ausonij de vitæ ambiguitate carmen, è Pythagoreorum officina petitum, vereor ne quis mihi tacitè succenseat, quòd in manus sumpserim id argumentum adeò graue & molestum, miniméque liberali studiorum remissioni accommodatum, sed potiùs ad animos nostros vel perturbandos, vel infringendos, qui videantur excitandi potiùs ad res maximas, quàm vt eorum impetus retardetur, aut etiam infringatur. Neque enim probatur ille Cyrenaicus, qui de vitæ humanæ miserijs ea diceret, quæ ad mortem voluntariam homines cogerent: parúmque sapere sunt existimati Philosophi, qui suis disputationibus suos auditores à Reipub. omni functione reuocarent. Sic non sunt ij digni qui in sapientum numero ponantur, qui cùm soli sapere sibi putarent, quòd nihil superum cogitarent, nihil humanæ naturæ ac conditioni consentaneum proponerent

rent, ex hac vitæ statione hominem ante tempus à Deo & natura præfinitum insanis suis delirijs vel ablegarent vel dimouerent. Quia tamen hic auctor propter eruditionem quandam admirabilem, & acumen ingenij mirificè mihi placeat, cuius etiam scripta quædam superioribus anteactis annis illustrarim, agè videamus animi causa, an id carmen nobis vitæ huius tædium possit inducere. Rem omnem dilucidè conferam, omnémque enumerationem vno claudam enthymemate, ad hunc modum:

Nulla non vitæ conditio, nulla ætas non misera & infelix:

Igitur optimum non nasci, aut citissimè mori.

Primam partem quadruplici inductione conatur ostendere: quarum prima & vltima ducitur à rebus externis: altera à partibus ætatis: tertia à virtutum vel vitiorum comparationibus.





AVSONIVS

DREPANIO FILIO.



VI dono lepidum nouum libellum?
Veronensis ait poeta quondam.
Iuuentóque dedit statim Nepoti.
At nos illepidum, rudem libellum,
Burras, quisquilias, ineptiasque
Credemus gremio cui fouendum?
Inueni. trepidæ silete natæ,
Nec doctum minus, & magis benignum,
Quàm quem Gallia prebuit Catullo.
Hoc nullus mihi carior meorum.
Quem pluris faciunt nouem sorores,
Quàm cunctos alios, Marone dempto.
Pacatum haud dubiè, poeta dicis.
Ipse est. intrepidè volate versus.

Et nudum in gremio fouete tuto,
Hic vos diligere, hic volet tueri.
Ignoscenda teget, probata tradet.
Post hunc, iudicium timete nullum.



IN EPISTOLAM AVSONII.

(Cui dono lepidum) Mutuatus id ex primo epigrammate Catulliano, per dialogismum illustratum dissimilibus. Non sicuti olim Catullus suum lepidum libellum, Nepoti consecraturus addubitatione quadam vsus est, qui sciret eum perdoctum esse, à quo sua scripta candidè acciperentur: ita ego hæsito, cui meum istum de vitę ambiguitate libellulum non comptum, nẽque disertum sim commendaturus.

Veronensis) Fuit Valerius Catullus, patria Veronensis, lepidissimus ac doctissimus, optimis etiam temporibus natus, vt qui amicissimè vixerit cum M. Tullio, Planco, Cinna, Caluo, alijs. Vide Lilium Gregorium dialogo 10.

Illepidum) Sine vllo lepôre, sine gratia & sale. quod tamen modestè à modesto viro Ausonio dictum interpretor.

Rudem) Ruditas in verbis, vel in verborum dura compositione.

Burras, quisquilias, ineptias) Verba idem penè sonantia, & pro re nullius precij vsurpata. quid tamen burra sit, vndéque ducatur nomen, me nescire fassus sum hactenus: verbum quidem esse minimè Romanum facilè agnoscent eruditi homines: ex quibus ego didici Aqui-

tanicam

tanicam esse vocem, vsurpatámque iam olim in Ausonij patria. Nos burram, floccos è lana volitantes Gallicè dicimus.i.nullius momenti rem.

Credemus gremio cui fouendum) Elegans à nutriculis allegoria,& certè libri quasi liberi (vt apud Iurisconsultos) sunt molliter fouendi,vt sensim fiant vegetiores. & aliquo in honore habeantur.

Iuueni) Subiectionis Rhetoricæ pars altera. Significat sibi nihil amplius esse metuendum, qui nactus sit Drepanium Pacatum,doctum certè hominem,cui suum libellum commendet. Is est qui panegyricum Theodosio Imperatori dixit:in qua oratione longè pręclara se Gallum transalpinum fatetur,id est Aquitanum, vt plerique conijciunt.Ad eundem Ausonius misit ludum septem Sapientum.

Trepidæ silete natæ) Alij legunt Nattæ: sunt & qui nugæ malint,vt sit apostrophe ad inertes quosdam homines,& in alienis scriptis ingeniosos. De hac voce Nactæ,aut Nattæ,aut Naccæ, quædam Turneb. lib. 23. Aduersar.cap.22.

Nec doctum minus) Vt probari potest iudicium Catulli in deligendo erudito homine cui sua scripta consecraret: ita non aspernandum Ausonij iudicium, qui Drepanio non minus docto quàm fuerit ille nepos Catulli,versus hosce commiserit.

Quàm quem Gallia) Nepotem hunc Catullianum fuisse accolam Padi & transpadanum Plinius agnoscit. Pōponij Attici vitam scripsit: alia eius scripta interciderunt.Vide Gellium.15.lib. Noct.Att.

Hoc nullus) Laudatio Drepanij ex adiunctis amicitia summa,maximáque doctrina.

Marone dempto) Vno excepto Virgilio, cæteris Poëtis Drepanium pręfert.

Pacatum haud dubie) ex definitione iam definitum colligit,& quasi ex genere speciem:ex quo amicè, fidenter, paríque candore suum iudicium vult approbari.

Et nudum in gremio) Suprà dixit, Credemus gremio cui fouendum:nudum ait hîc, vt significet etiam nęuos,

& siquid sit vitij nudè & apertè credat Drepanio inspiciendos: gremio vero tuto, eo quòd amicus magno & sincero iudicio vir, facilè siquid vitij hæreat aut occcultabit, aut excusabit. Alio loco noster hic ad eundem Drepanium,

AEquanimus fiam te iudice, siue legenda,
Siue tegenda putes carmina quæ dedimus.)

Post hunc iudicium) Plinius Secundus 6. epist. 15. Tam solicitè recitaturis prouidendum est non solùm vt sint ipsi sani, verumetiam vt sanos adhibeant.





ΠΡΟΛΕΓΟ-
MENON.



VLLA vitæ pars, aut cōditio miseriarum expers sæpe humani animi vim adeò frangit aut debilitat, vt nunquam, nasci multò putet esse melius, quàm quandiu vitæ vsura datu ,cum tot malorum generibus necessariò colluctari. Quam opinionem Cicero profectam scribit à Sileno . eam multi exaggerant, sed maximè Plinius initio 7. lib. natur. hist. Lactantius lib. 3. cap. 19. Damnant vitam (inquit) omnē, plenámque nihil aliud quàm malis opinantur. hinc nata est illa inepta sententia, hanc esse mortem, quam nos vitam putemus: illam vitam, quā nos pro morte timeamus: ita primum bonum esse, non nasci: secundum citiùs mori. quę vt maioris esset auctoritatis, Sileno attribuitur. Cicero sic in Consolatione: Non nasci, inquit, longè optimum, nec in hos scopulos incidere vitæ: proximum autem, vbi natus sis, quam primùm mori, tanquā ex incendio effugere violentiam fortunæ. hæc ille, aliaque multa, quibus impiam sententiam refutat. Idē pene inuenies ad finem 1. Tuscul. Hoc Sileni dictum refertur copiosius à Plutarc. Consolatione ad Apollonium, ex verbis Aristotelis, moralib. ad Eudemum, apud quem Sileni verba ad Midam hæc legūtur: πρὸς δὲ δὴ τούτοις διὰ στόματος ἐν τοῖς ἀνθρώποις ὁρᾷς ὡς ἐν πολλῶν ἐτῶν παλαιοῦ χρόνου περιφέρεται θρυλλούμενον. Ad quæ Midas cùm rogaret quidnam illud esset, Silenus ita inquit, ὡς ἄρα μὴ γίνεσθαι μὲν, ἄριστον πάντων. τὸ δὲ τεθνάναι,

τοῦ ζῆν ἐστὶ κρεῖττον. Quam ingratam & impiam veterum opinionem, quanti habenda sit, ad finem huius nostrę explicationis spero me indicaturum. Hanc asseruit inter alios Cyrenaicus Egesias ea eloquétiæ vi, vt quòd confirmaret argumentis aliquot probabilibus à malis mortem abducere, non à bonis, multi eo audito, sibi spóte mortem afferrent. itaque prohibitus à Rege Ptolemæo illa in scholis dicere. Sic Cleombrotus Ambraciotes, lecto Platonis libello de immortalitate animorum, præcipitem se de muro in mare dedit, vt ad vitam meliorem transuolaret.





D. AVSONII EIDYLLIVM,

EX GRÆCO PYTHAGORICVM,

DE AMBIGVITATE eligendæ vitæ.

edyll. 15. pag. 140



VOD vitæ ſectabor iter? ſi plena tumultu
Sunt fora: ſi curis domus anxia: ſi peregrinos
Cura domus ſequitur: mercãtem ſi noua ſemper
Damna manent: ceſſare vetat ſi turpis egeſtas:

COMMENTARIA.

Quod vitæ ſectabor iter?) Principium ducitur ab addubitatione, in qua vis eſt propoſitionis cum aſſumptione ſyllogiſmi confuſa. Iter vitę autem *μεταφορικῶς* appellat, pro vitę inſtituto, quo forſè alludit ad Platonis illud: *παρεπιδημία ἐστὶν ὁ βίος.*

Si plena tumultu ſunt fora) In foro plena omnia conten-

tionum,iurgiorum,litium,tumultuum. Forum inquam non tam iudiciale quàm litigiosum nominandum,locũ ad fallendum inuicem, atque ad omnem depeculandi licentiam destinatum,vt apud Laertium Anacharsis, facilius quàm vellemus,intelligimus. Ouidius 3. Eleg. de Trist.

Otia nunc istic,iunctisque ex ordine ludis
Cedunt verbosi garrula verba fori.

Lib.4.idem:

Fortia verbosi natus ad arma fori.

Paulinus Ausonio:

——*strepitúsque fori,rerúmque tumultus,&c.*

Plutarchus Commentario de non fœnerando, ἀσεβῶν χῶραν forum appellat,id est impiorum regionem. De rabulis forensibus,quos M. Cicero, & post eum Sidonius Apollinaris vocat,nihil hîc dico. Prætereo insignẽ locum Apuleij lib.10.de asino,vbi caussidicos non alio nomine quàm capita vilissima,forensia pecora, & vultures togatos,notat. Plinius Secundus, quo nullus inter scriptores vel sincerior,vel cordatior: Nos, inquit, qui in foro veris litibus ac iurgijs quotidie terimur, multùm malitiæ quanquam nolentes addiscimus. Columella initio sui operis de re rustica queritur, caninũ studium adlatrandi (sine quo satis felices fuisse vrbes dicit) vel etiam contra innocentes,at pro nocentibus neglectum à maioribus, ab hominibus autem suę ætatis etiam concessùm intra mœnia,& in ipso foro latrocinium.

Curis domus anxia) Cura rei familiaris hominem liberũ non minimùm exercet, vel propter vxoris aut seruorum molestias,vel propter censum tenuem, debitorum moras,liberorum petulantiam, eòsve elocandos, præter innumerabiles alias difficultates quibus vxorati homines vel cœlibes cruciantur: Vel,si malis ita explicare,propter id quod sequitur proximè, domi semper manere,anxium est, eo quod cura rei familiaris assiduè hominem torqueat.

Si peregrinos) Qui peregrè abeunt,variè afflictantur,

quòd alienorum mores hominum, & ignotorum sibi locorum insolentiam perferre at pati coguntur: sępéq; fit vt nihil molestius homines ferant quàm externi soli tædium.

Cessare vetat) Qui egent necesse habent labori se dedere, ociúmque fugere ad pellendas inopiæ molestias. ὁ φεύγων μύλλω, ἄλφιτα φεύγει. duris vrgens in rebus egestas: & ingenij largitor venter, negatas artifex sequi voces. Sic mercator per, mare pauperiem fugiens, per saxa, per ignes impiger. Theognis,

ἣν δὴ χρὴ φεύγοντα καὶ ἐς μεγακήτεα πόντον
ῥίπτειν, καὶ πετρῶν Κύρνε κατ' ἠλιβάτων.

Claudian. de raptu Proserpinæ 3.

——— *remotas*
Ingeniosa vias paullatim explorat egestas.

Manilius 1.

——— *Labor ingenium miseris dedit & sua quemque*
Aduigilare sibi iussit fortuna premendo:
Seducta in varias certarunt pectora curas.

Si vexat labor agricolam, mare naufragus horror
Infamat, pœnæque graues in cœlibe vita,
Et grauior cautis custodia vana maritis.
Sanguineum si Martis opus: si turpia lucra
Fœnoris, & velox inopes vsura trucidat.

Si vexat labor agricolam) Agricolæ laboribus fatigantur. Horat. initio Satyrarum:

Ille grauem duro terram qui scindit aratro.

Et quanquam labor toto penè anno impendatur, semper ijs tamen

Non reddit sterilis semina iacta seges.

Mare naufragus) Periculosum est mare naufragijs. Ouid.

Nauita sollicitus ventos exhortet iniquos,
Et propè tam lethum, quàm prope cernit aquam.

Celebratur dictum Anacharsidis, quòd non procul à morte distent nauigantes. Iuuenalis itidem in 12. Saty.

I nunc, & ventis animam committe dolato
Confisus ligno, digitis à morte remotus
Quatuor, aut septem, si sit latissima tæda.

Terent. Hecyra,

O fortunate, nescis quid mali præterieris, qui nunquam es ingressus mare.

Vide Tibulli elegiam de Pæti morte, & Senecam 5. natur. quæst. cap. vltimo, & epist. 54.

Pœnæque graues in cœlibe vita) Cœlebs ideò miser censetur quia spe prolis destituitur, carétque thori consorte & socia laborum. Est qui, vt apud Horatium,

Nihil ait esse prius, melius nil cœlibe vita.

Sed dum expertus est quot quantisque solitudo ęrumnis afficiatur,

Coniugium laudat, nullumque hoc nomine culpam
Esse putat: Cœlebs nec cupit esse diu.

Mitio Terentianus verecundè ex aliorum quorundam opinione asserit eum fortunatum qui vxorem nunquam duxerit:

——— & quod fortunatum isti putant, vxorem nunquam duxi.

Sed in genere, si graues eorum qui sunt vxorati curæ æstimentur, quid illis infelicius, aut quid minus quietum? Audiamus senem Terentianum Adelphis:

Duxi vxorem: quam ibi miseriam vidi? nati filij,
Alia cura: porro autem dum studeo illis, vt quam plurimum
Facerem, contriui in quærendo vitam atque ætatem meam.
Nunc exacta ætate, hoc fructi pro labore ab his fero,
Odium. ——— meam autem mortem exspectant.

Iuuenalis Saty. 6.

Semper habet lites, alternáque iurgia lectus
In quo nupta iacet: minimum dormitur in illo

Et grauior) Miseriores hisce omnibus zelotypia laborantes. ij enim si prauam de vxorum pudicitia opinionem conceperint, vel contrà, si fœminę pellicatum

virorum suspicatę sint, omnis amor inter coniuges non modò extinguitur, sed etiam odium planè internecinũ imbibitur. Ouid. 2. artis,

Sed neque fuluus aper media tam sæuus in ira est,
Fulmineo rapidos dum rotat ore canes: &c.

Sanguineum si Martis opus) Bellùm omnem cruentum & à natura humana alienum. Tibull. lib. 1.

Quis fuit horrendos primus qui protulit enses?
Quàm ferus ! & verè ferreus ille fuit.

aliáque multa quibus bellum omne detestatur.

Si turpia lucra fœnoris) Turpis fœnerator, eiusque lucrũ turpe, quia κακὰ κέρδεα ἶσ' ἄτῃσι. eorum enim diuitiæ malis artibus crescunt aliorum dispẽdio. Multa Plutarchus libello de non fęnerando.

Omne æuum curæ: cunctis sua displicet ætas.
Sensus abest paruis lactentibus: & puerorum
Dura rudimenta, & iuuenum temeraria pubes.
Afflictat fortuna viros per bella, per æquor,
Iras, insidiásque, catenatósque labores
Mutandos semper grauioribus. Ipsa Senectus
Expectata diu, votísque optata malignis,
Obijcit innumeris corpus lacerabile morbis

Omne æuum curæ) Ducta est hactenus enumeratio prima ærumnarum, quibus iactantur homines in medijs huius vitæ fluctibus. Sequitur altera, sumpta illa quidẽ ab omnibus ætatis partibus. Infantia est ἀναίσθητος, sensu vacua: pueritia sub magistris seueris exigitur: iuuenta iã à pędagogis libera, cupiditatibus inseruit: virilis ætas quærit opes, inseruit honoribus, varijs exercetur bellorum & mercaturę infortunijs, torquetur litiũ

& aliarum contentionum molestijs, multiplici labore fatigatur, adeò vt finis ærumnæ vnius fiat ad sequentem gradus. Multa Prodicus de omnium ętatum casibus in Axiocho Platonis, si tamen eius liber est, quem Suidas tribuit Socratico Æschyni: integrum nos locum citaremus, sed quia longior est facilè prætermittimus. De pueritia sic Lucretius lib. 5.

——Tum puer vt sæuis proiectus ab vndis
Nauita nudus humi iacet infans indigus omni
Vitali auxilio, cum primùm in luminis oras
Nixibus ex aluo matris natura profundit,
Vagitúque locum lugubri complet, vt æquum est,
Cui tantum in vita restet transire malorum.

Ipsa senectus) Quæ ipsa morbus, & quam vt adipiscantur, optant omnes, eandem accusant adepti, ait Cato Maior apud Ciceron. Dicunt enim senes facti se onus Aetna grauius sustinere. λαθὸν ἐπεισῆλθε τὸ γῆρας, εἰς ὃ πᾶν συῤῥεῖ τὸ τῆς φύσεως ἐπίκηρον καὶ δυσαλθές. Clam senecta venit, in quam confluit quicquid est natura malum & difficile. Plato Axiocho. Multa Iuuenalis Saty. 10.

Obÿcit innumeris morbis) Socrates apud Xenophontem in apologia dicit se mortem non detrectare, quia quod vitæ sibi superesse videt, sit infinitis obnoxium morborum generibus: νῦν δὲ εἰ ἔτι προβήσεται ἡ ἡλικία, οἶδα ὅτι ἀνάγκη ἔσθαι τὰ τοῦ γήρος ἀποτελεῖσθαι, καὶ ὁρᾶν τε χεῖρον, καὶ ἀκούειν ἧσον, καὶ δυσμαθέστερον εἶναι, καὶ ὧν ἔμαθον ἐπιλησμονέστερον. ἢν δ᾽ αἰσθάνωμαι χείρων γιγνόμενος, καὶ καταμέμφωμαι ἐμαυτόν, πῶς ἂν, εἰπεῖν, ἐγὼ ἔτι ἂν ἡδέως βιωτεύοιμι. Iam verò si longiùs ætas progrediatur, scio mihi ferenda senectutis incommoda, nimirum peius videre, minus audire, ad discendum esse hebetiorem, vt ea quæ didici facillimè dediscam. Cùm autem sentiam me habere deterius, & mihimet displiceam, quæ mihi tandem inquam, erit vita iucunda? Seneca verò epist. 97. Omnia ad quæ gemimus, quæ expauescimus tributa vitę sunt. Horum nec speraueris immunitatem, nec petieris. Vesicæ te dolor inquieta-

uit? epulæ parum dulces erunt, detrimenta continua: propiùs accedam, de capite minuisti. Quid tu nesciebas hæc te optare, cùm optares senectutem?

Spernimus in commune omnes præsentia. Quosdam
Constat nolle deos fieri. Iuturna reclamat,
Quo vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? Sic Caucasea sub rupe Prometheus
Testatur Saturnigenam, nec nomine cessat
Incusare Iouem, data sit quòd vita perennis.

Spernimus in commune omnes) Fastidimus quæ adsunt, laudamus quæ absunt. quod vitium non modò senile est, sed aliarum etiam ętatum. Senes quia memoria potiùs, quàm spe sustententur, vt ait Cato apud Ciceronem, sunt laudatores temporis acti se pueris. Nota illa Menedemi vox apud Terentium,

Quotidie accusabam: hem? tibine hæc diutiùs
Licere speras facere me viuo patre &c.

Cornel. Gallus;

Laudat præteritos, præsentes despicit annos.

Iuuenalis Saty.2.

Res hodie minor est, herè quàm fuit atque eadem cras.

Idem 3.

Felices proauorum atauos, felicia dicas
Secula quæ quondam sub regibus.

Succurrit etiam Horatianum illud:

Damnosa quid non imminuit dies?

Sed illud imprimis conuenit huic Ausonianę sententię Martialis.lib.5.

Esse quid hoc dicam viuis quod fama negatur,
Et sua quod rarus secula lector amat.

Hi sunt inuidiæ nimirum Regule mores,
Præferat antiquos semper vt illa nouis.

Nisi fortè tamen ad tædium rerum assuetarum malimus id traducere, de quo disertis verbis Plinius 8. epist. 20, Transmittere mare solemus ad ea noscenda, quæ sub oculis posita negligimus: seu quia ita natura comparatum, vt proximorum incuriosi, longinqua sectemur: seu quòd omnium rerum cupido languescit, cùm facilis occasio est. Hæc ille. Cum hoc tamen Ausoniano lubens comparo Senecæ illud ex epist. 5. Spem metus sequitur. nec miror ista sic ire. vtrumque pendentis animi est: vtrumque futuri expectatione soliciti. Maxima vtriusque causa est, quo non ad præsentia aptamur, sed cogitationes in longinqua præmittimus.

Quosdam constat nolle Deos fieri) Plerique Dij vt est in Poëtarum fabulis, vitæ molestijs defatigati existimarunt mortalitate nihil melius homini à natura concessum.

Iuturna reclamat) Inductio duorum exemplorum, vnum Iuturnæ, alterum Promethei. Apud Virgilium 12. Æneid. Iuturnæ verba sunt impatientissimè mortem ferentis Turni fratris ab Ænea interfecti. Huic puellæ Iuppiter pudicitiam eripuerat, eique eo nomine immortalem esse dederat. Hæc Maronis verba,

Infelix crines scindit Iuturna solutos
Vnguibus ora soror fœdans, & pectora pugnis
Quid nunc te tua Turne potest germana iuuare?
Aut quid iam miseræ superat mihi? qua tibi lucem
Arte morer? tali possem me apponere monstro?
Iamiam linquo acies, ne me terrete timentem
Obscœnæ volucres, alarum verbera nosco
Letalémque sonum: nec fallunt iussa superba
Magnanimi Iouis: hæc pro virginitate reponit?
Quò vitam dedit æternam? cur mortis adempta est
Conditio? possem tantos sperare dolores
Nunc certè, & misero frater comes ire per vmbras
Immortalis.

Sic Caucasea sub rupe) In Æschyli Prometheo, cuius quos

dam verſus expreſſit Cicero 2. Tuſc. nihil hic à me, quia decantatiſſima eſt in omnium libris fabula. Tantùm memini Prometheum queri magnis queſtibus aquilam, ſeu vulturem, perpetuum cor exedere, & ſtatim abſumptum, comeſtúmque continuò renaſci, vt nunquam mori liceat.

Reſpice & ad cultus animi. Sic nempe pudicum
Perdidit Hippolytum non felix cura pudoris.
At contra illecebris maculoſam ducere vitam
Quem iuuat, aſpice & ad pœnas, & crimina regum,
Tereos inceſti, vel mollis Sardanapali.

Reſpice & ad cultus animi) Tranſitus fit ad enumerationem tertiam vitiorum & virtutũ. Si quis ſe virtuti dedat, vt ſit huius cuſtos, rigiduſque ſatelles, plerumque calumnijs obruitur: ſi quis ſe vitijs & ſceleribus obſtringit, præter famę iacturam, peſſimum etiam ſortitur exitium. Id probat inductione ſeu paralellis aduerſorum exemplorum.

Hippolytum) Qui de ſtupro appellatus à Phædra nouerca, quia gerere morem nolluiſſet, ipſáque nimia doloris impatientia ſeſe ſuſpendiſſet, à Theſeo patre in exilium pulſus, tandem in medio mari eſt extinctus. Ei itaque ſua malè pudicitia ceſſit.

Tereos inceſti) Hic cùm intuliſſet ſtuprum ſorori vxoris, Philomelæ: eæque filium Ithym membratim diſcerpſiſſent, patrique dediſſent epulandum, ille ſubito furore correptus, dicitur in Vpupam auem transformatus. Ouid. 6. Metamorp. Hyginus fabula 45.

Sardanapali) Is Lydiæ Rex, muliere omni effœminatior, quandiu vixit omne ſui æui tempus in omni gene-

re voluptatum insumpsit. Huius epitaphium lege apud Suidam, & Athenæum 12. Dipnosop. meminit Plutarc. de Alexandri fortuna.

Perfidiam vitare monent tria Punica bella:
Sed prohibet seruare fidem deleta Saguntos.
Viue, & amicitias semper cole. crimen ob istud
Pythagoreorum perijt schola docta sophorum.
Hoc metuens igitur, nullas cole. crimen ob istud
Timon Palladijs olim lapidatus Athenis.

Perfidiam vitare monent) Perfidia occasionem dedit exscindendæ Carthaginis: contrà nimia fides fuit exitio Saguntinis. Occasio belli Punici primi ex eo fuisse dicitur quòd Carthaginenses classe opem tulissent Tarẽtinis contra percussum fœdus cum Romanis. Alterum bellum cepit Annibal deleta Sagunto, quę Romano populo fœderata, extrema tandem fame domita & cõpressa fuit. Tertio denique Carthago iamdiu malè cogitans, fœdere violato arma cepit, toto triennio obsessa, & variis oppugnata machinis, demum excisa est à Scipione minore. Liuius 3. Decade.

Deleta Saguntos) Annibal in Romanorum odium, auctore Amilcare patre, obstrictus sacramento, anno ætatis nono, tandem animos sumpsit ad annum 25. quo tempore salutatus Imperator cum exercitu venit in Italiam, primóque fœdus violauit, quod vltimum cum Romanis pepigerat Asdrubal, Amilcaris gener, Pœnorum Dux, ne scilicet Pœni armati Iberium Hispaniæ fluuium traijcerent, néue Saguntum vrbem pop. Romano fœderatam violarent, vt est apud Polybium. Hęc itaque vrbs ab Annibale obsessa (postquàm constantissimè fidem Romano populo datam seruauisset) octauo

pòst mense capta est & deleta. Vide Liuium. Hinc prouerb. Saguntina fames: cuius noster hic epistola quadã ad Paulinum meminit,

Adiutus vt mox nauis auxilio tuæ
Adúsque portus oppidi
Jamiam Perusina & Saguntina fame
Lucaniacum liberet.

Viue & amicitias) Amicitia Pythagorei periere: contrà Timon, hominum osor in omnium odium venit. De Pythagoreorum vitæ communitate, summáque fide & amicitia, passim apud auctores. De morte Diogenes Laert. lib. 8. De Timone verò quem μισάνθρωπον appellarunt, apud Suidam & Plutarc.

Dißidet ambiguis semper mens obuia votis.
Nec voluisse homini satis est: optata recusat.
Eße in honore placet, mox pœnitet: et dominari
Vt poßint, seruire volunt. Idem auctus honore,
Inuidiæ obijcitur. Pernox est cura disertis:
Sed rudis, ornatu vitæ caret.

Dißidet ambiguis) Hinc incipit alia enumeratio humanorum infortuniorum, ducta ab obiecto bonorum externorum. Mens humana sibi dissidet, quæ sæpe optata diu, momento recusat. Dissidet vt plurimùm voluntas facultati. quod docetur vno ambitionis exemplo. Horatius.

Bellua multorum est capitum: nam quid sequar? aut quem?
& pòst:

——————ijdem possúntne horam durare probantes?

Ouid. 4. de Ponto,

Nec quid agam, inuenio, nec quid nolimue, velimue:
Nec satis vtilitas est me'i nota mihi.

Potest & id in vniuersum de insigni hominum inconstantia, vel mutatione vitæ morúmque intelligi. Pli-

nius de rerum vel varietate, vel viciſſitudine ſic ediſſerit, epiſtola ad Valentem 24. lib. 4. Tantas conuerſiones aut fragilitas mortalitatis, aut fortunæ mutabilitas facit. Circa nos ipſos, quàm multa mutata ſunt? ſtudijs proceſſimus. Profuerunt nobis bonorum amicitię, bonorum obfuerunt iterúmque proſunt. Si computes annos, exiguum tempus: ſi vices rerum, æternum putes. Quod poteſt eſſe documento, nihil deſperare, nulli rei fidere, cùm videamus tot vanitate tam volubili orbe circumagi.

Eſſe in honore placet) Honoris titulus res eſt primo aſpectu magnifica, & quæ imperitos in admirationem rapit: at cùm ingreſſi ſunt ad mare, cuius tempeſtates abhorrent, aut ob iactationem contremiſcunt, eos voti ſui pœnitet. nihil enim melius vita quieta putant. Huc poſſent à me conferri in medium queſtus multorum ſanè principum Græcorum, Romanorum, & barbarorum, qui ſenſerũt ad extremum magno ſuo malo, quàm grauis & vera ſapientum quorundam opinio περὶ τοῦ μὴ πολιτεύεσθαι, ab ingratis ſuis ciuibus vel affecti ludibrio, vel eiurare magiſtratus coacti, aut denique infami exilio damnati.

Pernox eſt cura diſertis) Qui eloquentiæ fructum, famámque quærunt, noctes ſępe ducunt inſomnes, bonámque diei partem impendunt in exercitatione omnium laborioſiſſima, & certè difficillima. Cicero pro Cælio: an aliam cauſam putatis eſſe cur tam pauci ſint, ſempérque fuerint qui in hoc labore verſantur? Omittendæ ſunt omnes voluptates, relinquenda ſtudia delectationis: ludus, iocus, conuiuium, ſermo etiã omniũ penè familiarium. Huc pertinet illud Fab. cap. 3. lib. 11. Et vigilandæ noctes, & fuligo lucubrationum bibẽda. Olere lucernam cur dictæ orationes Demoſthenis nemo eſt qui neſciat.

Sed rudis ornatu) Ignauus & remiſſus, iners, rerum inſcius, imperitus manet inglorius, nullo honore augetur. Sapiens diteſcit, vbi vult: habet enim quo ſe commendet, & quo ſe vendicet à contemptu: ignarus contrà vel

trà vel contemnitur, vel ex sese vilescit.

——— ——— ——— *Esto patronus,*
Et defende reos sed gratia rara clientis.
Esto cliens grauis imperijs persona patroni.
Exercent hunc vota patrum. mox aspera curis
Sollicitudo subit. Contemnitur orba senectus.
Et captatoris præda est, heredis egenus.
Vitam parcus agas: auidi lacerabere fama:
Et largitorem grauius censura notabit.
Cuncta tibi aduersis contraria casibus.

Esto patronus) Præclarum est reis & periclitantibus opem ferre, sed vel nulla, vel parua certe clientũ gratia. *Omnia sunt ingrata: nihil fecisse benignè est,* ait Catullus.

Esto cliens) Clientes interdum vexantur imperiosius à patronis qui nullum poscendi finem faciunt. Martialis: *Et iudex petit, & petit patronus.*

Contemnitur orba senectus) Orbi senes nullo in honore: quia enim liberis carent, neminem habẽt à quo sustententur, sed plures interea captatores metuunt, vel qui miseris insidientur, aut qui votum mortis captent. Egenum heredis, hîc interpretor eum qui filios nõ habeat, qui soleat esse præda captatoris. Ceterùm quàm dubia sit felicitas eorum qui liberos optant, declarat Seneca Consolatione ad Martiam, cap. 17.

Vitam parcus agas) Parsimonia laudatur, sed tamen proscinditur vt auaritia. siquis sit animo liberali & munifico, nomine prodigi censetur. Huic simile illud Horatianum: ——*nos virtutes ipsas inuertimus, atque*
Sincerum cupimus vas incrustare. probus quis
Nobiscum viuit? multùm est demissus homo, illi
Tardo cognomen pinguis damus. Hic fugit omnes
Insidias, nullique malo latus obdit apertum?

(Cum genus hoc inter vitæ versetur, vbi acris
Inuidia, atque vigent vbi crimina) pro bene sano,
At non incauto fictum astutúmque vocamus. &c.

Eiusmodi est iudiciorum peruersitas & inuidia quorundam vt rapere soleant in partem deteriorem quæ alioqui possunt inter ἀδιάφορα censeri.

(Cuncta tibi aduersis) Tandem connectitur propositio generalis, eiúsque assumptio cum conclusione miscetur: Cùm vita humana omnibus suis partibus sit vsque adeò misera & calamitatum plena, nullumq; eius iter tutum & securum sit, bonum erat non nasci.

———————— Ergo
Optima Graiorum sententia. quippe homini aiunt
Non nasci esse bonum, natum aut citò morte potiri.

Ergo optima Graiorum) Ipsissima est conclusio ex opinione Sileni, quæ eadem, atque quorundam Græcorũ poëtarum, quorum epigrammata exstant apud auctores varios. Sed duo imprimis illa contraria, quæ legũtur 1. sectione Anthologię, titulo εἰς τὸν ἀνθρώπινον βίον perplacent. Primum est Posidippi vel Crateris Cynici:

Ποίην τις βιότοιο τάμοι τρίβον, εἰν ἀγορῇ μὲν,
Νείκεα καὶ χαλεπαὶ πρήξιες ἐν δὲ δόμοις
Φροντίδες. εἰ δ' ἀγροῖς, καμάτων ἅλις. ἐν δὲ θαλάσσῃ,
Τάρβος. ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, δέος.
Ἢν δ' ἀπορῇς, ἀνιηρὸν, ἔχεις γάμον, οὐκ ἀμέριμνος
Ἔσσεαι. οὐ γαμέεις, ζῇς ἔτ' ἐρημότερον.
Τέκνα πόνοι. πήρωσις ἄπαις βίος. αἱ νεότητες,
Ἄφρονες. αἱ πολιαὶ δ' ἔμπαλιν ἀδρανέες.
Ἦν ἄρα τοῖν δυοῖν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
Μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν αὐτίκα τικτόμενον.

Hos ego numeros Græcos ita reddidi, crassa nimirum Minerua, tantúmque vt intelligi possent à studiosis:

Quod vitæ sectabere iter? fora plena molestis
Litibus: at curis non domus vlla vacat.
Rura ærumnarum sunt plena: mari imminet horror:
Si vel agas peregrè, non bene tutus eris:
At si egeas multò grauiùs: si ducta sit vxor,
Non securus eris: multo magísque miser
Si cælebs, nati cruciant: genus occidit atsi,
Orbus eris: neque dum culta iuuenta sapit.
Viribus ipse senex caret, alterutrum elige, nempe
Aut nunquam nasci, vel citò morte premi.

Metrodori contrarium huic ad hunc modum velim ex diametro adolescentibus propo[n]i:

Παντοίην βιότοιο τάμοις τρίβον. εἰν ἀγορῇ μὲν,
Κήδεα, καὶ πινυταὶ πρήξιες. ἐν δὲ δόμοις
Ἄμπαυμ'. ἐν δ' ἀγροῖς, φύσιος χάρις. ἐν δὲ θαλάσσῃ
Κέρδος. ἐπὶ ξείνης, ἢν μὲν ἔχῃς τι, κλέος.
Ἢν δ' ἀπορῇς, μόνος οἶδας. ἔχεις γάμον, οἶκος ἄρι-
ἔσσεται. οὐ γαμέεις. ζῇς ἔτ' ἐλαφρότερον. (στος
Τέκνα πόθος. ἄφροντις ἄπαις βίος. αἱ νεότητες
Ῥωμαλέαι. πολιαὶ δ' ἔμπαλιν εὐσεβέες.
Οὖν ἄρα τῶν δισσῶν ἑνὸς αἵρεσις, ἢ τὸ γενέσθαι
μηδέποτ', ἢ τὸ θανεῖν, πάντα γὰρ ἐσθλὰ βίῳ.

Quod cupias sortire genus vitæ: omnia questu
Plena fora: inde etiam gloria multa venit.
Vita quieta domi est: agris est gratia ruris:
Inque mari lucrum est: atque paratur honos.
Siquid habes peregrè: atsi egeas, tibi conscius vni es:
Vxor si tibi sit, nempe beata domus.
Si cælebs, securus eris: nati, ampla voluptas:
Si non sint, nulla hinc solicitudo premet.
Robora sunt iuuenum primæuo in flore iuuentæ:
Vota senes deceant, & pietate iuuent.
Ergo putem non optandum, citò morte perire,
Aut nunquam nasci: nam omnia plena bonis.

Epigramma vtrunque coniungere placuit, vt quasi venenato Sileni & Posidippi morsui presens quasi alexipharmacum, vel etiam a mul[t]ũ adhiberẽ. Hoc demũ adijcio, ne quid sciens prætermittam quod faciat adil-

lustrationem boni & docti poëtę Ausonij.
Alij quidam fuere opinionis Sileni & similium assertores, qui dicerent humanam naturam pecudum & animantium mutorum natura longè miseriorem, quod tribus his maximè rationibus se putabant ostendere: quòd natura hominum sit infirma viribus, & in cęteris imbecilla: quòd breuis æui quodq; regatur fortuna magis, quàm consilio. At, vt vno verbo, eę vires hominum sunt, vt non magnopere desiderent aut elephanti, aut leonis, aut tauri robur, aliarumve etiam belluarum pernicitatem, & singulares alias naturæ dotes, quæ in quibusdam feris elucescunt. Eam vero breuitatem vitę supplet recta ratio, prudentia, cęterę virtutes, quibus præditus homo infinitis partibus antecellit alijs animantium generibus. Denique in sapientem hominem parum admodum potest casus vel fortuna, adeò vt nullum numen absit, si modò prudens adsit animus. Non me mouent Lucretius Epicureus, qui lib. 5. neque Plinius, diuinæ prouidentiæ hostis, qui 7. lib. sed neq; Plutarchus qui in Gryllo idem dogma, sed vario modo sunt illustrare conati. Aduersus quos humanæ naturæ ingratos reprehensores possumus apponere summũ Philosophorum Aristotelem. lib. 4. cap. 6. de partib. animalium, Sallusti i proœmio Iugurthini belli, Lactant. Firmianũ multis diuinarum institutionum locis, maximéque de opificio Dei cap. 23. & sequent. Nimius essem credo, si quæ passim Seneca de ea re disputauit, in locum vnum congererem. Nolim tamen prętermitti nobilem Plutarchi disputationem, quæ legitur in Mario. Is cùm ad septimum consulatum iam affecta ætate peruenisset, quod nemini antè cõtigerat, tamen acriore ambitionis morsu nescio quid maius sperabat, minimè sua sorte contentus, ægréque ferebat sibi victoriam de Mithridate præripi. Fortunam incusabat ipse adeò locuples, vt opibus reges potentissimos vinceret, ac si ante tempus moreretur, qui iam duos & septuaginta annos expleuerat. Contrà Plato moribundus gratias Deo naturę, ipsique fortunę habuit ὅτι ἄνθρωπον μὲν ἀν-

θρωπος: quòd primum natus homo eſſet: εἶτα ἕλλην οὐ βάρβαρος: deinde Grecus, non barbarus: οὔτε ἄλογον τῇ φύσει θηρίον: neque rationis expers animal: πρὸς δὲ τούτοις ὅτι τοῖς Σωκράτους χρόνοις ἀπηντήσε ἡ γένεσις αὐτοῦ: quod natus eſſet temporibus Socratis. Eo modo Tarſenſis Antipater morti proximus, cùm memoria repeteret quæ ſibi gratiſſima in vita contigiſſet, non prætermiſit felicem è patria ſua nauigationem Athenas vſque. quod argumentũ erat hominis qui præſenti animo fortunę beneficijs vteretur: ſecus quàm ingrati illi qui omnia iniquè accipiunt, quique ſemper anxij ac ſoliciti à rebus futuris pendent. Non plura. video enim me interpellari iam, qui nimiùm multa fortaſſe in tantillum libellum: in quem ſi cuncta congeſſero quæ veniunt in mentem, nullus neque modus, neq; finis erit. Quamobrem

Iam ſatis eſt, ne me Criſpini ſcrinia lippi
Compilaſſe putetis, ad hæc nihil amplius addam

ἡ ἀρετὴ, ἑρατή.



INDEX IN GRIPHI AVSO- niani explicationem.

A

ÆDium faciendarum tres artifices 17.a
Aenigmatum lex 6 b
Aetas cornicis 12.a
Aetas Nestoris ibidem.
Aetas cerui, corui, phœnicis, ibidem.
Anni partes 13.b
Annus quadrimestris 11.b
Ann⁹ semestris apud quos 11 b
Annus trimestris 11.b
Apologia pro Gripho Ausoniano 26.a
Arcades προσέληνοι 11.b
Arganthonij ætas 11 b
Ausonij ludus de ternario 7.a
Ausonius numeris delectatus 27.b
Ausonij carmen ad Vrsulã Grãmaticum, ibid.
Ausonij ludus ad Theonẽ, ibid.

B

BRomius, Bacchus 17.a
Bibendum ter, vel nouies. 8.a

C

CApitis deminutio triplex 20.b
Castor & pollux nati ex ouo 11.a
Cerberus triceps 10.b
Cerui ęripedes 12.a
Charites tres 13.a
Chimera 23.b
Christianæ pietatis fundamentum, sacra Trias 24.a.b
Cicero genere dicendi triplici vsus 20.b
χλίμα 11.b
Colossi Rhodiorum 21.b
In Conuiuijs aliquid mysterij olim 8.a
septem Conuiuium, nouem cõuicium 5.b
Cubus 8. b
Cubus Geometricus & Arithmeticus 8.b

D

DEus vnus tribus in personis 24.b
Diana prçest triuijs 12.b
Dicendi tres characteres 20.b

E

ECloga quid 5.b
Eidyllia obscura 4.a
Eidyllia 6.b
Elementa tria 13.a
Epyllia 6.b
Euclio, senex auarus 4.b
Excubiæ 14.a

F

FAta tria Troię 13 a
Foetus in vtero conformatio 9.b
Fulmen trisulcum 10.b
Fulminum genera tria. ibidem.
Furiæ tres 24.a

G

GAllus Euclionis Plautini 3.a
γενεά quid 11.a
Geryon tricorpor 23.a
Gorgones tres 23.b

Grȩco more bibere 5.b
Gratiarum cum Musis Coniunctio 8.a
Gratiæ tres 12 b
à Gratijs conuiuarum numerus incipit 5.b.
Gratiis sacrificare 8.a
Griphi scribendi occasio 3.a
Griphus quo scriptus tempore 5.a
Griphus quid 7.b
pro Gripho Ausoniano apologia 26 a
Griphi reprehensio 26.b
Griphi laudatio 27.a
χειρεύειν, ibid.

H

Harmonia cœli 21.a
Harpyȩ tres 24.a
Hecate tergemina 12.b
Helena nata ex ouo 11.a
Hercules Ioue natus ex Alcmena 14 b
Herculis certamina, ibidem.
Hippolytus, Virbius 5.a

I

Ianus Parrhasius 10.a
Interdictum quid 19.a
Interdictum triplex, ibid. a. b
Io Vassorius, Theologus. 26.a
Iuris vniuersi partes 18.b.
Iuris tres diuisiones, ibidem
Iuris præcepta 19.a
Ius quid 18 b
Ius quid à lege differat 18.b
Ius publicum 19.a
Ius priuatum, ibid.
priuati iuris partes. ibidem

L

Lex mystica [illegible] a
Liberti tribus fiebant modis 20.a
Libertorum genera tria 20 a
Longæui qui olim 11. b
Lyrici poetæ nouem 14.b

M

Manumittendi formæ tres 20.a
Medicina triplex 21.a
Medicorum tres species ibid.
Medimna 17.b
Menses tres cuiusque anni partis 13. b
Mensis partes tres 23.a
Mnemosyne, Musarum mater 15.a
μουσικὸς opponitur ἀμούσῳ 4.b
Musæ nouem 15.a
Musarum ætas 12.a
Musarum certamen cum Pieri filiabus 13.a
Musæ cur filiæ Mnemosynes 15 a
Musæ tres olim. ibid.
De Musis, locus D. Augustini 15 a
Musica triplex. 22 a
Modi tres Musicæ, ibid.

N

Neptuni tridens 10.b
Nestoris ætas 11. qualiter accipiatur. 11.b
Nodus in cirpo 6 b
Nouem conuicium, septē conuiuium 5.b
Nouem naturalia metra 6 a
Numeri triplices 9 a
Numero deus impare gaudet 8.b

O

Ὄμφαλος 18.b

Oratorij numeri 21.b
Oratorum formæ tres 21.b
Ordo triplex Romæ 22. b
Orphei tripodes 22. a
Oscen 12.a

P

PArcę tres 10.a
Philosophia triplex 13.b
Phœbus, Musarum præses 15.b
Phœnix, auis 12.b
Poëtarum φιλαυτία 5.b
Principia tria 17.b
Puluis charteus 4.b
Punica bella, tria 13.b
Purpura pro filo vitæ 11.b
Purpura pro sanguine 12.a
Pyrrhi gemma 15.b
Pythagoras, primus Philosophus 6.a

Q

QVadrantal 17.b

R

RAtio non est inquirenda rerum omnium 27.a
Romanorum nomina tria 23.a
Romæ tres ordines 22.b
Rubrii conuiuium 3.a 5.a

S

SAturni ex Rhea nati 9.b
Scylla triplex 23.b
Seculum 11 a
Secus, pro sexus 10 a
Secus virile, ibid.
Senatus Rom. 22.b
Septem conuiuium: nouem cōuicium 5. b
Sexus, in neutro genere 10. a
Sibyllę nouem 24.a
Sibyllinos libros asseruabant decemuiri 24.a
Silentium noctis 14.a
Sirenes tres 13 a
Siredones ibidem.
Socrates, etiam iocando, vtilis erat auditoribus 27.a
Sorex suo indicio periit 4 a
Spongiam impingere 5.b
Sicyon 15.a
Symmachus, eiusque laudatio 4.a.6.b

T

TErentus, ludique Terentini 15.b
Ternarii numeri præstãtia 7.a
De ternario numero qui scripserint, ibid.
de Ternario, veterū opinio, 8.b
Ter vel nouies bibendum, 8. a 24 a
Tres in rebus omnibus vnitates 24.b
Tesserã dare & accipere 14.a
Tria consortia Deorum in tēplo Capitolino 17.a
Tria rerum principia 21.b
Tria Romanorum nomina 23.a
Trianguli tres formæ 18.a
Triada iussit adorari Pythagoras 7.a
Triangulum equilaterum, diuinitatis indicium 9.a
Trias religionis Christianæ fundamentum 7.a
Tribuni plebis Rom. 22.b
Triplex vox 13.a
Triplex side rum positus 22 a
Turme tres equitum 22.b
Turnebi laudatio 17.a

V

VArro scripsit de numeris 6.b

Vigiliæ 14.a
Vigiliæ veterum 14.a
Virgilius triplici genere dicendi vſus 20.b
Vita hominis quot annorum 9.b
Vita longiſſima 11.b
Vitæ certum tempus homini non præſtitum 9.b
Vitæ fila 11.b
Vnus Deus, tribus in perſonis 24.b
Vox triplex 13.a

X

Xenocrates moroſus 8.a

ERRATA QVÆDAM OPERARUM IN GRIPHI EXPLICATIONEM.

Prior nota, paginam: altera lineam ſignat.

Pag.5.4.Hippolytum.Pag.6.b.19.*πολυδερκὴς*.Pag.9.ad finem,ſcribe,*Omina in iſtis*.12.b.26.quódque triuijs pręeſſe.20.4.*σκιαγραφία*. Pag.21.a: eſt inepta tranſpoſitio, ibi,*Et medicina triplex*:nam ſcholium,quod incipit ib idē ſic, *Cicero oratione pro Roſcio,cantum vocum* &c. debuit appingi ſequenti fol.22.ſtatim poſt annotationem ad locum hunc, *Et genitrix modulorum.* pag.23.b.15.ſcribe, Chimeræ.



INDEX IN EXPLICATIONES ad Ausonij Eidyllia de Studio Puerili,& de ambiguitate vitæ.

A

Achilles Pelei filius 7.b
educatus à Centauro, ibid.
Adolescentum mores intractabiles 16.b
Adolescentes nobilitate parẽtum excitãdi 22.a.b
Aenigma de verbere pædagogorum 9.b,10.a
Agricolæ labores 28.a
Antipater Tarsensis 35.a
Animis danda remissio 6.a
Atlãtis discipulus Achilles 8.a
Auctores quique optimi ad imitandum proponendi 12.a
Ausonii protrepticum, de studio puerili 2.3.b.5.a
Ausonii consilium in scribendo protreptico, 2.b.4.a.5.a
Ausonius Grammaticæ doctor 8.a
Præceptor Gratiani,ibid.& 19 a.15.b
Blandus præceptor 16.a
Eius dignitates 19.a
Eius in consulatu collega, Hermogenianus 21.a
Consulatus 19.20.
Eius panegyricus 20.a
Honores sibi delatos inculcat 20.b
Austera 6.b

B

Bella Punica tria 31.b
Bellum,miserum 29.a
Bellum Catilinarium 15.a
Bellum Sertorianum 15,a
Bis pueri senes 14.a
Burræ 25.b

C

Catullus Veronensis 25.b
Chiron centaurus 7.b
Cleombrotus Ambraciotes 26.b
Comœdiæ versus 13.a
Consuetudinis vis 7.b
Cura rei familiaris 27.b
Carmina lyrica 14.a
Clientis gratia rara in patronum 33.a
Comœdiæ Menandri 13.a
Comœdiarum soccus 13.b
Cornelius nepos 25.a

D

Δὶς παῖδες οἱ γέροντες 4.b.14.a
Diuerbia 15.a
Doctrinæ radix amara,fructus dulces 16.a
Drepanius Pacatus 25.a

E

Educationis tædium vt mitigandum 21.b
Egesias Cyrenaicus 23.a.26.b
Eloquentia difficilis 32.b
Epigramma de vitæ miseriis 34.a
Euentus 17.a
Experientia difficilis 17.a

F

Familiaris rei cura 27.b
Fatiscere 6.b
Ferulis olim vsi Grammatici 9.b
Fœnerator turpis cur 29.a
Fora plena tumultu 27.a
Fori descriptio amarulētā 27.b
Forticula 4.b

H

HErcules Atlantis discipulus in Astronomicis 8.a
Hippolytus 31 a
Historiæ connexa 13.b
Homeri laudatio 12.b
Hominum vita misera 26.a
Honoris titulus 32.a
Horatii laudatio 14 a
Humana inconstantia 32.a

I

IVniorum in scholis proteruitas 15 b.17 a
Iudicium liberum in examinādis scriptis 4 a
Iuturna Turni soror 30 b

L

LAbore inopia pellitur 28 a
Labores studiosorum 31 b
Lectionis varietas 12 a
Lectio an à Virgilio & Homero incipienda 12.b
Legendi auctores qui maximè 12.a
Ludus litterarius, schola 6 b

M

MAgistrorum seueritas 5.a
Maiorum virtus, adolescētes excitat 11.a.b
Mare periculosum naufragiis 28.a.b
Memoria in senibus minuitur 13 b
Menandri comœdię 13.a
Metrodori epigramma de vita humana 34.a
Mores, priores artibus, 16.a
Musæ, σεμναὶ θεαὶ 5.b
Musarum ludicra 5 b
cur in Musas Cupido non intendat arcum 5.b.6.a

N

NEmesis 19 a
Nobilitas vera vnde petēda 22.a
Non nasci optimum 26.a

O

OCcasio scribendi poematii de studio pucrili 2.b
Opinionum peruersitas 33.a.b
Optimos quosque sibi proponere ad imitandum 12 a

P

PAedagogorum negligentia 8 a
Parentum spes de liberis frustrata sæpe 17.b
Parsimonia 33.a
Patris præsentia 4.a
Patronorum munus 33.a
Paupertas labore pellitur 28.a
Paupertas fugienda, ibid.
Philosophi qui mortem vltroneā hominibus suaserint 23.b
Plato moribundus quid dixerit 34 a
Posidippi epigramma de vitæ miseriis 34.a
Præceptor blandus Ausonius 16.a
Præceptoris imperium nō detestandum puero 7.a
Præceptorum seueritas 8.a
Præsentia vituperamus 30.a
Pronunciatio qualis esse debeat 13.a

INDEX

Prometheus 30.b.31.
προτρεπτικὸς λόγος 3.b
Protrepticon Ausonii 3.b
Publicum negocium agere, philosophiæ pars pulcerrima 21.b
Puerilis metus 7.a.10.a.b
Puerorum anxietas in scholis 9.a
Pueros cædi à preceptoribus non probari 8.a
Puerorum mores intractabiles 16 b
Puer omni bellua ītractabilior 17.a
Pythagoreorū cōmunitas 32.a

Q

QVid maximè adolescentes excitet 11.a
Quisquiliæ 25.b

R

REcitatio 4.a
Remissio dāda animis 6. b

S

SAguntini deleti ab Annibale 31 b
Sallustii libri historiarum 15.a
Sapiens discescit, vbi vult 32.b
Sardanapalus 31.a
Schola, vnde dicta 6.a b
in Scholis quid fiat 9.a.b
Scutica quid 10.a
Senes puerorum consuetudine capiuntur, 14.a
Senex sperat 11.a
Senectutis mala 29.b
Senes morosi 30.a
Senectus orba contēnitur 35.a
Sileni sententia, Optimū non nasci, 26 a
Socrates mortem cur non detrectarit 29.b
de Studio puerili, libellus 2.b
Studiosorum labores 32.b
Studium litterarum, voluntarium 6.a
Studiū à laboribus incipit 8.b

T

TAedium rerū assuetarū 30.b
Terentii laudatio 14.b
Terentiani numeri 15.a
Tereus Philomelæ stuprum intulit 31.a
Timor, nota degeneris animi 8.b
Toga picta 20.a
Trabea 21.a
Tragœdiarum cothurnus 13.b
Tragœdiarum aulæa, ibid.

V

VEsticipes 16.a
Vicissitudo rerum 32.b
Virgilii lectio 12.b
Virgilii laudatio 14.b
Vita hominis misera cur 34.b
Vitæ nulla pars expers miseriarum 26.a.29.a.34.a
Vitæ iter 27.a
Vita cœlibs misera 28.b
qui Vitæ humanæ reprehensores 34.b
Vox emissa perit 4.a
Vxorati miseri 28.b

Z

Zelotypi miseri 28.b

ERRATA.

Pag.3.b.linea 28.didascalicum, pag.4.lin.13.delenifica, p.13.27.Familiam duc.p.17.12.ὑβριστότατον.

Summa Priuilegij.

CAutum eſt auctoritate Regia ne quis præter Ioannem Richerium bibliopolam & Typographum Pariſienſem excudat typis, aut etiam mandet excudi, & quoquo modo vẽdat, præter eiuſdem Richerij conſenſum, *Griphum ternarij numeri Auſonij, cum explicatione* CLAVDII MINOIS *&c.* ad annos vſque nouem, ſub pœna regio diplomate latiùs compreheſa anno 1583. Ianuarij 25.